ADRIANI PVLVAEI, LEGVM DOCTORIS, ET IN SVPREMA CVRIA ADVOCATI,

Ad edictum de alienatione iudicij mutandi cauſa facta, déque litigioſis, & actionum ceſsione,

LIBER SINGVLARIS,

In quo edictū Ludouici Francorum Regis XII. de ſcholaſticorum priuilegiis explicatur.

Eiuſdem commentatio in l. interpoſitas, C. de tranſact.

IN VIRTVTE, ET FORTVNA.



LVGDVNI,

APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,

SVB SCVTO VENETO,

M. D. LIX.

V. CL. AEGIDIO BOVRDINO, GENEralі in ampliſsimo ordine procuratori Regis Adrianus Puluæus S.D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANtigonus ſecundus Zenone philoſopho defuncto dicere ſolebat, Cl. Bourdine, geſtorũ ſuorum ſublatum eſſe theatrũ, quòd eum, quem ex omnibus delegerat, cui vitæ ſuæ rationem inſtitutúmq; probaret, amiſiſſet. Ego verò cõtrà magnum, optatiſsimúmque ſtudiorum meorum theatrum me nactum eſſe verè gloriari ac prædicare poſſum,

quòd hæc mea qualiacunq; iuriſpru dentiæ rudimēta tibi, Franc. Oliuario, M. Hoſpitalio, Frãc. Duareno, alijsq́; diuina mente & ingenio præditis viris placere, probarique intelligam. Tollantur igitur, per me licet, vulgaria illa in quibus diogenis τρισάνθρωποι *verſantur, modò vt in hoc vno mihi, muſisq́; canere liceat. Id autem vt mihi hoc ſtrenarū die permittas, id eſt, eas ſucciſiuarum horarum commentationes de alienatione iudicij mutandi cauſa facta, déque litigioſis, & actionum ceſsione, quas ad te mitto, tua erga me æquanimitate ſuſcipias, te etiam atq; etiã oro. Sic enim meam poſthac ad ſcribendum deintegrò augebis induſtriam. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, Calend. Ianuar. 1558.*

SVMMA EORVM QVAE in hoc libello continentur.

EVm, qui data opera in fraudem noſtram alienationem fecerit, tanti in factum actione nobis teneri, quanti noſtra intererit aliũ nos aduerſarium non habuiſſe. Et ſummota l. properandum. C. de iudicÿs.

Ideóque ſi in alterius prouinciæ hominem aut potẽtiorem, aut litigioſum, quamuis non ita potentem, alienatio fiat, hac actione agi poſſe.

Idem ſi ſeruus, quem petituri eramus, manu mittatur, aut res vſucapta ſit:

Aut ſi locum, in quo opus feceris, cuius nomine interdictum quod vi aut clam, aut aquæ pluuiæ arcendæ actio cõpetebat, alienaueris.

Et explicata l. ſed vendita, ff. de aqua plu. arc. Aut ſi opus nouum tibi nũtiauerim, túque eum locum alienaueris, deinde emptor ædificauerit.

Et generaliter quouis modo interfuerit, hanc actionem competere.

Quòd ſi non interſit petitoris, vt quia eius res non erat, aut quia is, qui alienatus eſt, ſine culpa deceſſit, aut quia is qui rē alienauit, eam poſtea recepit, hanc actionem ceſſare.

Idem ſi is qui alienauit paratus eſt vtile iudicium pati, perinde ac ſi poſſideret.

Et explicata l.j.C.de alienat.iud.mut.cauſa facta.aliter quàm ſoleat.

Fraude ſimiliter non intercedente, vt quia authori ſuo redhibitio fit, vel quia re carere malumus, quàm ſæpius propter eam litigare, edicto locum non eſſe.

Et explicata ratio eius quod dicitur legando, vel hæredem inſtituendo huic edicto locum non eſſe, aliter quàm à cæteris.

Hanc actionem competere reo alienante.

Actore verò alienante nullā aduerſus eum dari actionem, ſed ab agendo poſteriorem dominum repelli poſſe:

Et explicatæ ll.penult.& vlt.ff.de aliena. iud.mut.cauſ.facta, aliter quàm ſoleant.

Ita tamen demum ab agendo repelli poſteriorem dominum, niſi ob valetudinē, aut ætatē,

aut

aut occupationes neceſſarias id factũ fuerit.

Suprà dicta procedere, ſi nondum ſit acceptum iudicium.

Nam ſi lite pendente alienatio fiat, ad litigioſi pœnam confugiendum eſſe.

Et explicata rei litigioſæ definitio.

Diſcrimẽ adhibẽdũ eſſe inter actorẽ et reũ.

Etenim actore alienante, iure Pandectarũ, exceptionem reo competere.

Et explicata l.1.§.vlt.ff.de litig.præter aliorum opinionem.

Item l.lite pendente, C.de litigioſ.

Et tit.C.ne liceat pot.& tit.de his qui pot.no. & tit.ne fiſc.vel reſp.aliter quàm ſoleant.

Reo verò alienante pœnam quidem ſuprà dicto Pandectarum iure cõſtitutam fuiſſe, ſed eam his fragmentis, quæ ad nos peruenerunt, expreſſam non eſſe.

Et declarata l.vlt.ff.de litigioſ.

Quamuis vulgò aliter ea quæ de litigioſis ſcripta reperiuntur, accipiant, nec vllum diſcrimen adhibeant.

Nona autem Iuſtiniani conſtitutione diſſe

rentiã eam inter reũ & actorem ſublatã eſſe.

Licèt is inter contrahentes bonam fidem à mala diſtinguat.

Ceſſare hanc litigioſi pœnam, ſi ex neceſſitate fiat alienatio.

Item ſi poſt omiſſam quæſtionem.

Et explicatæ l. 4. § .non ſolùm, & l. vẽditor, ff. de hæred. vend.

Moribus quoque noſtris locum non habere litigioſi pœnam.

Et quædã obiter de iudicum contractibus.

Item explicata l. j. C. de cõtract. iudic.

Atque hæc quidem, quando inter viuos rei litigioſæ fit alienatio.

Nam ſi fiat in teſtamenio, ſequendum eſſe quod Iuſtiniani Nouella 112. traditur.

Et explicata l. 3. C. de litig. aliter quã ſoleat.

Quòd ſi neque iudicij mutandi cauſa, neq; iudicio iam cœpto actio cedatur, non licere emptori plus exigere, quàm quod reuera numeratum aut perſolutum erit.

Et explicata Anaſtaſij conſtitutio in l. penult. C. mand. aliter quàm ſoleat.

Item l. vlt. C. illo tit.

Et quædam de ſcholaſticorum priuilegijs.

ADRIANI PVLVAEI, LEGVM *Doctoris, & in ſuprema curia aduocati, ad Edictum de alienatione iudicij mutandi cauſa facta, déque litigioſis, & actionum ceſſione liber ſingularis.*

CAP. I.

VT optimorum eſt medicorũ quauis ratione ſanitatem hominũ potius tueri, quàm graſſantibus morbis medicinam iis facere: ſic omnibus modis ij, quibus iuris conſtituendi partes datæ ſunt, quíve iudiciis præſunt, id in primis quantùm poſſunt, curare debent, ne facilè homines ad litigandũ procedant. Quo nomine Seruius Sulpitius apud Ciceronẽ laudatur, quòd

ſemper maluerit litium cõtrouerſias tollere, quàm actiones cõſtituere, ne litigandi occaſio ex eo præberetur. Et Iſocrates Nicocli regi ſuadet, vt leges ferat, quæ nullas lites pariant: iuris quoque noſtri authores temeritatem tam agẽtium, quàm eorum, cum quibus agitur, modò pecuniaria pœna, modò iuriſiurandi religione, modò infamiæ metu coercuerunt.[a] Quę tamen φιλοδικία, exitioſum inter homines malum, ſi prohiberi præcaueríque non poteſt, id certè deinceps conãdum eſt, vt quemadmodum illi medicaminibus ingruentes graſſantésque iam morbos depellunt ac remouent, ita exortæ lites diminuantur: & ne iudiciorum exitus duriores nobis conſtituantur, oppoſito nobis alio aduerſario: quam in rem proſpectum eſt eo edicto, quod de alienatione iudicij mutandi cauſa facta

a tit. de pœna te. litig. in Inſtit.

prop

propoſitũ eſt, de quo nunc diſſerere inſtituimus. Eius autem edicti ſententia eſt, vt ſi quis alienando rem alium nobis aduerſarium ſuo loco ſubſtituerit, ídque data opera in fraudem noſtram fecerit, tanti nobis in factum actione (quã Eguinarius Baro ideò ſic dici notat, quòd propriũ nomen non habeat, ſed facto apud prætorem expoſito actionem daret olim pro facti modo & natura: quod & de exceptionibus in factum Theophilus ait) teneatur, quanti noſtra interſit alium nos aduerſarium non habuiſſe, fortè ſi quas impenſas fecerimus: aut ſi quam aliam incommoditatem [a] paſsi erimus alio aduerſario ſubſtituto, à quo etiam victo id fortaſſe conſequi nunquam poſſemus (quãuis in expenſas condemnetur [b]) quod per hanc actionem ab alienante licet. Itaque ſi quis alterius prouinciæ

1 arg l. minoribus. ff. de minor.

2 l. properãdum. §. ſin- autẽ, C. de iudic.

ciæ hominem,aut potentiorem , aut alium litigioſum ſeu vitilitigatorem litiumq́; concinnatorem(cuiuſmodi fuiſſe Siculos notat Cicero,& Ægyptios Marcellinus,quos natura controuerſos & aſſuetudine perplexius litigandi lætiſsimos dicit)quamuis nõ ita potentem,qui vexaturus ſit,nobis oppoſuerit aduerſarium , tenebitur: quia etiam ſi cũ eo,qui alterius prouinciæ eſt,experiar,in illius prouincia experiri debeo(actor enim rei forum ſequi debet)[a] & potentiori pares eſſe nõ poſſumus[b], καὶ μὴ δεῖ προσκρούειν, inquit ille, τοῖς μέγα δυναμένοις,id eſt,vt interpretatur M.Tullius,non eſt cum valentioribus certandum.Subueniẽdum eſt autem , idem Tullius ait,ei, qui potentis alicuius opibus circumueniri,vrgeríque videtur,nec cuiquã fraus ſua prodeſſe debet. Id verò cauere ac proſpicere ad religionẽ præſidis

a l.iuris ordinem. C. de iuriſd.
b l.1.2.3.ff. de alienat. iudic.mut. l.1.ff.ſi ex nox. cauſ. ag.

ſidis pertinere tradit Vlpianus [a]. Supra dictis conuenienter ad hoc edictum pertinere volunt, ſi laicus clerico, aut alij priuilegium habenti rem alienauerit, ſed hoc ita demum admittendum erit, ſi aduerſarius id dolo factum, ſuáq; intereſſe oſtenderit, vt ex iis, quæ poſteà ſubiicientur, intelligetur. Cæterùm potentiorem eo accipere debemns, qui alienat, nõ eo, in cuius fraudem alienatur, vt rectè vulgò notatur. Sed & ſi quis hominẽ quem petebamus, id eſt, petituri eramus, manumiſerit, durior noſtra, conditio fit, quia prætores fauent libertatibus. [b] Item ſi locum, ın quo opus feceris cuius nomine interdicto quod vi, aut clam, aut actione aquæ pluuiæ arcẽdæ tenebaris, alienaueris, durior noſtra cõditio facta intelligitur: quia ſi tecum ageretur, tuis impenſis id opus tollere deberes: nunc verò cùm inci

a l. illicitas. ff. de offic. præſi.

b l. 3. §. 1. ff. de alienat. iud. l. quoties. ff. de regu. iur. l. inter pares. ff de re iud. tit. C. ſi aduerſ. libert.

incipiat mihi aduerſus alium actio eſſe, quàm qui fecerit, cōpellor meis impenſis id tollere: quia qui ab alio factum poſsidet, hactenus iſtis actionibus tenetur, vt patiatur id opus tolli.[a] Nec ad rē facit quòd is, qui alienauit, interdicto quod vi, aut clam de damno & impenſis ab actore factis tenebitur.[b] Nam id damnum & impenſæ ad id, quod intereſt alium non habuiſſe aduerſarium, & quòd lis in plures ſit partita, & quòd impenſas prærogare oportuit, non porrigūtur, (Etenim actori, qui ante alienationem agere neglexit, moram ſuā nocere debere manifeſtum eſt, niſi fraus alienantis interceſſerit[c]) ſed ad damnum tantùm, quod ob factum opus paſsi ſumus pertinent: cuius dāni ratio ſi fuerit habita, nihilominus huic edicto locus erit ad conſequendum quāti noſtra intereſt, iudicium non

a d. l. 3. §. item d. l. ſi alius. l. ſemper. §. vlti. ff. quod vi, aut clam. l. ſi tertius. §. vlt. ff. de aqua plu. arc.

b l. ſed venditor. ff. de aqua plu arc.

c l. emptor. ff. illo tit.

non fuiſſe mutatum: quo tamen iudicio id non rectè petetur, quod noſtra intereſt opus factum non fuiſſe. Sufficit enim priſtinam cauſam iudicij reſtituere. [a] Opus quoque nouum ſi tibi nuntiauerim, túque eum locum alienaueris, & emptor opus fecerit, dicitur hoc te iudicio teneri, quaſi neque tecũ ex operis noui nuntiatione agere poſsim, quia nihil feceris, neque cum eo, cui id alienaueris, quia nuntiatum non ſit [b]. Quanquam enim operis noui nuntiatio in rem fit, non in perſonam, [c] ſi tamen ignorans præcedentem cauſam ædificauerit, debebit tantùm patientiã deſtruendi operis aduerſario præſtare, non etiam impenſam [d]. Ideóque meritò edicto de alienatione iudicij mutandi cauſa facta, nuntiatori tenetur qui alienauit. Itẽ ſi res fuerint vſucaptæ ab eo, cui alienatę ſunt, nec

peti

a arg. l. ex hoc edicto, & d. l. 3. §. vlti. ff. de alien. iudi. mut. cau. fact.

b d. l. 3. §. opus.

c l. operis. ff. de oper. no. nũti.

d l. vim fa cit. §. ĩ ſũma. ff. quod vi aut clam. l. vltim. ff. de oper. no. nũtia.

peti ab eo poſsint,locum habet hoc edictum. [a] Fieri nanque potuit temporibus Vlpiani,aliorúmq; iureconſultorum,vt bonæ fidei emptor rem ſoli biennio,vel mobilem anno completo,intra annum tamẽ vtilem,quo ex hoc edicto agi poteſt,vſuceperit. [b] Sed & ab authore inchoatam vſucapionem ab emptore intra eum annũ vtilem compleri poſſe,nõ dubitatur.

a l. item. ff. de alienat. iudic. mut. cauſ. fact.

b titu. de vſuc. in Inſtit.

CAP. II.

ET generaliter definiendum eſt, quoties actoris intereſt etiam iure poſſeſsionis vel iuris ſeu ſeruitutis, quam in re, quæ alienatur habebat, toties ex hoc edicto agi poſſe,tametſi res exhibeatur: arbitratu enim iudicis priſtinam cauſam iudicij reſtitui oportet. Proinde ſi res non fuit petitoris,aut ſi is qui alienatus eſt ſine culpa deceſsit,ceſſat iudiciũ,niſi ſi quid

acto

actoris præterea interfuerit.[a] Item ſi quis alienauerit, deinde receperit, nõ tenebitur hoc edicto, quia non intereſt actoris.[b] Quid ergo, inquit Caius, ſi is, aduerſus quem talis actio compe tit, paratus ſit vtile iudiciũ pati perinde ac ſi poſsideret? rectè dicitur denegandam eſſe aduerſus eum ex hoc edicto actionem,[c] quia actoris intereſſe deſiit. Neque verò neceſſe eſt, vt ſub certa pœna obliget ſe reus ad eius rei, quæ alienata eſt, reſtitutionẽ, ſi fortè ſuperior fuerit in lite actor, quòd alioqui liceat actori id, quod intereſt petere, ſi rei æſtimatione cõtentus non ſit, vt vulgò traditum eſt. Nam qui dolo fecit quominus poſsideret, is quantùm aduerſarius in litẽ ſine vlla taxatione in infinitum iurauerit, per rei vindicationis iudicium damnãdus eſt,[d] ita vt nulla alia cautione opus eſſe dici poſsit. Sed eſt

a d.l.item. §.non ſolũ. §. ad iura. §.hæc actio d.l. ex hoc. l. vtique.l. illud. ff. de petit. hære.
b d.l.ex hoc §.ſi quis.
c d.l.3.§. vlt.
d l.qui reſtituere. ff. de rei vīdi. l.parem.ff. de reg.iur.

quæſitum, nunquid cogatur ſemper reus vtile iudicium pati? Et verius eſt temporibus Caij iureconſulti, hanc vtilem actionem nondum fuiſſe receptam: itaque cogi nõ potuiſſe reum, vt id vtile iudicium pateretur, ſed inſecutis poſteà Pauli & Vlpiani temporibus interpretatione factum eſſe, vt vtilis rei vindicatio aduerſus eum daretur, qui dolo poſsidere deſiiſſet. Cùm enim Senatuſconſulti, quod de petitione hæreditatis factum eſt, verbis nominatim cautum eſſet, eos, qui dolo poſsidere deſiiſſent, perinde cõdemnandos quaſi poſsiderent,[a] non eſt abſurdum per conſequentias & in ſpeciali in rem actione dolum præteritum deduci, id eſt, eum rei vindicatione teneri qui dolo poſsidere deſiit[b] & ita memini Franc. Duarenum, cũ ei in iure ciuili Biturigibus operam darem, huic quæſtioni ſatisfeciſſe, qui

[a] l. ſed & ſi lege. §. perinde. ff. de petit. hæred.

[b] l. ſi autem. §. ſed & is. ff. de rei vindic.

qui etiam alia quædam ad eandem rem pertinentia notauit ad titulum de verborum obligationibus.[a] Quibus conſequẽs eſſe videri poteſt, cùm hodie æquè certa ſit hæc vtilis rei vindicatio atque directa, hoc edictũ ſecundùm Caij ſententiam, locũ non habere, ſi reus ne ſecum ageretur rẽ alienauerit, quòd actione vtili in rem conueniri queat: magis tamen eſt, vt ex Diocletiani & Max. Imp. reſcripto ex hoc quoque edicto in factũ actionem dari admittamus. Sic enim illi aiunt, Cùm in rem actionem poſſeſ- " ſio pariat aduerſario, alienatione etiã " iudicij mutandi cauſa celebrata, in " integrum reſtitutio edicto perpetuo " permittatur: intelligis, ſi rem, ne ſecũ " ageretur, qui poſſidebat, venundedit " & emptori tradidit, quem elegeris, cõueniendi tibi tributam eſſe iure facultatẽ.[b] Quo in reſcripto illud etiã

a l. cum filiusfamilias. 49. il-lo tit.

b l. vnica. C. de alien. iudic. mut. cauſa facta.

obſeruandum eſt,electionem tribui actori,vtrum poſſeſſorem directa rei vindicatione, an eum qui alienauit actione in factum ex hoc edicto conueniat,cùm antea obtineret,tum demum ex hoc edicto actionem competere,poſtquam contra eum actum fuiſſet,qui aduerſarius oppoſitus eſſet,vt ex eo apparet, quod idem Caius ait,hãc actionem dari in id,quod noſtra intereſt alium nos aduerſariũ non habuiſſe,[a] vel poſtquam certum eſſet inanem nobis futuram actionẽ aduerſus eum,cui alienatio facta eſſet, fortè quia alienata res vſucapta eſſet,vel ſeruo data libertas reuocari non poſſet.[b] Quãuis cùm aliquando apud Ioannem Texæum primæ claſſis inquiſitionũ præſidem,& certi apprimeq; intelligentis iudicij virum,de huius reſcripti interpretatione eſſet orta diſputatio,viri cuiuſdã non

[a] d.l.1.ff.il lo tit.

[b] l.item.ff. illo tit.

non indocti quidem ſententia fuerit, hoc reſcriptum ad rei vindicationis tractatum pertinere,nec vllo indicio à iuris noſtri compilatoribus ſub rubrica de alienatione iudicij mutandi cauſa facta relatũ adſcriptumq́; eſſe, atque iccirco perperàm à vulgaribus interpretibus eſſe acceptum:nõ enim electionem tribui,vt vel ex hoc edicto,vel rei vindicatione agere liceat, ſed vt vel ipſum poſſeſſorem,vel eũ, qui dolo poſsidere deſiit,rei vindicatione conuenire poſsimus:itaq; quod alienationem iudicij mutandi cauſa celebratam eo in loco dicitur,id non eò pertinere,vt ex hoc edicto decerni debeat actio,ſed eò ſpectare,vt eum dolo malo poſsidere deſiiſſe conſtet, & perinde habendum eſſe,ac ſi poſsideret,vt ſcilicet rei vindicatione cõueniatur: quam ſententiam defendi magis,quàm probari poſſe exiſtimo:
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nec ad eam confugere neceſſe habemus, ne in id offendamus quod Vlpianus ait, Si quis communi auxilio & mero iure munitus ſit, non debere ei tribui extraordinarium auxilium.[a] Non enim aduerſus eundem dantur eæ actiones in rem, directa, & ea quæ ex hoc edicto proficiſcitur, ſed illa aduerſus poſſeſſorem, hæc aduerſus eum, qui iudicij mutandi cauſa deſiit poſſidere. Sed nec quod dici poſſet vtilem in rem & hanc in factum actionem aduerſus eundem dari, eum nẽpe, qui dolo poſſidere deſiit, ſuprà dictæ Vlpiani ſententiæ contrariũ eſt. Neutra enim ordinaria eſt, ſed hæc quodam prætoris beneficio, illa verò interpretatione prudentum recepta eſt. Cęterùm quod reſtitutionem hoc edicto permitti dicitur, non ita ſumẽdum eſſe ex iam dictis ſatis intelligi poteſt, vt quod geſtum eſt reſcindatur,

a l. in cauſæ 17. ff. de minor.

tur,ſed ita,vt is,in cuius fraudẽ alienatio facta eſt,ad id reſtituatur, vt agat ad id,quod ſua intereſt,cùm iure ciuili nulla ei actione conſultum eſſet, ſed necdum interpretatio prudentum planè admiſſa comprobataq; eſſet,vt modò dicebamus.

CAP. III.

NEq; verò id quod intereſt ipſius actoris ſolũmodò in hac actione conſiderandum eſt,ſed etiam dolus malus eius qui alienauit,& vt iudicij mutandi cauſa alienationem celebrauerit. Nam ſi quidem ſine dolo malo,iudicij tamen mutandi cauſa, vel contrà dolo malo deſierit poſsidere,nec tamen iudicij mutandi cauſa fecerit,hoc edicto non tenebitur. Ideóque factum eius non improbat prætor,qui tanti habuit re carere,ne propter eam ſæpius litigaret. Hæc

enim verecunda cogitatio eius qui lites execratur non eſt vituperanda, ſed eius duntaxat qui cùm rem habere vult litem ad alium tranſſert, vt moleſtum pro ſe aduerſarium ſubiiciat. [a] Δεῖ γὰρ, inquit Demoſthenes, ἐλαττοῦσθαί τι καὶ συγχωρεῖν, ὥστε μὴ δοκεῖν φιλόδικοι εἶναι. Quam in ſententiam Cicero quoque ſic ſcribit, [b] Conuenit à litibus quantum liceat, & neſcio an paulò plus etiam quàm liceat abhorrentem eſſe. Eſt enim non modò liberale paulum nonnunquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. Equidem præterquã quòd Chilon Lacedæmonius dicebat æris alieni atque litis comitem eſſe miſeriam, quod & in Bargiliano quodã notat Martialis, vix eſt vt non corruptis, impuris, nec parum Chriſtianis moribus ſint, ſi Eſaiæ, & Paulo, Iacobo, Baſilio, & aliis credimus, qui in lites

[a] d.l.item. §.1.

[b] lib.2.Offic.

tes

tes præcipites aguntur, vt non imme
ritò Athenienſes quoq; τὴν φιλοδικίαν
vt probroſam & infamem ſint auerſa
ti, vt ex Iſæo, Thucydide, & Iſocrate
conſtat: cui tamen vel vni noſtri tem
poris eccleſiæ miniſtri & monachi
nomen dediſſe videntur, &

—Qua terra patet, fera regnat Erinnys.

ſed οὐκ ἐμὸν τάδε κρίνειν. Exibit aliquãdo
bono publico, ſpero, quam audio M.
Hoſpitalium, priſca religione & inte
gritate virum, in lites luſiſſe execra-
tionem. Itaque vt ad rem redeam, ſu-
pradictis etiam conſequenter Egui-
narius Baro ſcribit, hæredẽ inſtituen
do vel legando ſi quis alienet, huic
edicto iccirco locum non eſſe, quòd
non in fraudẽ, ſed quia moriturus ſit
alienare videatur. Quę Baronis ratio
nobis aliquãdo placuit.[a] Sed & illud
dici poſſe animaduertim⁹, ideò hoc
caſu edicti rationẽ ceſſare, quòd hæc

a in libr. ſing. de §ſ. rei aliena.

actio in hæredem non detur, nec in eum ſit concepta, cui alienatio facta eſt. Sciendum autem eſt optimũ principem litis cauſa hæreditates ſibi relictas ſuſcepturum non eſſe, ſiue ea lis futura ſit, ſiue iam mota, vt nos poſtea in re litigioſa notabimus. Nã quoad eius fieri poteſt, cauere debet princeps, ne ex eius maieſtate calumniandi occaſio & facultas capiatur[a]. Qua ratione motus Auguſtus, vt eſt apud Suetonium,[b] ex ignoti teſtamento (quod Antonio vitio vertit Cicero[c]) quicquam capere nunquã ſuſtinuit, ne quid fraudis cõmiſiſſe videretur, quamuis amicorum ſuprema iudicia moroſiſsimè penſitaret. Quod vtinã in animis perpetuò fixum habeant, etiam hi qui circa latera principum ſunt futuri. Sanè indicat Tacitus nõ niſi malum principem ab optimo patre hæredem inſtitui poſſe. Ideóque huma

a l. penult. ff. de hæredib. inſtit.
b in Aug. cap. 66.
c 2. Philip.

humaniter idem Auguſtus legata vel partes hæreditatũ & à quibuſcunque parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis eorum concedere, aut ſi pupillari ætate eſſent, die virilis togæ vel nuptiarum cum incremẽto reſtituere conſueuerat. Quid igitur de Domitiano ſtatuendũ, à quo (vt eſt apud eundem Suetonium) alieniſſimæ hæreditates confiſcabantur, vel exiſtente viro qui diceret audiuiſſe ſe ex defuncto, quum viueret, hæredem ſibi Cæſarem fore? τυραννικώτερον illud Caij Caligulæ fuit, qui teſtamenta Primipilarium, qui ab initio Principatus Tyberij neque illum neque ſe hæredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit, partem cæterorum vt irrita & vana, quoſcunque quis diceret hærede Cæſare mori deſtinaſſe. Quo metu iniecto, cum iam & ab ignotis & à parentibus inter liberos palam hæres nuncupa

cupa

cuparetur, deriſores vocabat, quòd poſt nuncupationem viuere perſeueraſſent, & multis venenatas macteas miſit.[a] Sed ne longius abeat oratio, is quoque qui venditori ſuo redhibet, non videtur iudicij mutãdi cauſa alienare, ſed quòd deceptus ſit, quia redhibito homine omnia retro aguntur (id eſt, recepto ab emptore pretio, habet vẽditor quod habuerat) & ideò non videtur iudicij mutandi cauſa alienare qui redhibet, niſi fortè propter hoc ipſum redhibet, non redhibiturus aliàs, ſiue iure poterat redhibere, quia vitioſam rem acceperat, ſiue non poterat redhibere, vt Placẽtini ſententia eſt. Nam & ſi obligatus ſoluero quod à me petere velles, huic edicto locus non erit. Hinc etiam fit, vt ſi tutor pupilli vel agnatus furioſi alienauerit, non directa aduerſus pupillum vel furioſum, ſed vtilis actio

a Suet. in Calig. cap. 38.

petat.[a] Quòd ſi minor vel eccleſia in fraudē potētiori alienauerint, actione directa ex hoc edicto tenebuntur. Hæc autem actio non eſt pœnalis, vt illæ quæ ad vindictam tantùm competunt, iniuriarum putà, & his ſimiles in quibus pecuniariter non intereſt, ſed rei perſecutionem continet: quare & hæredi dabitur: in hæredem autem, vel ſimilem, vel poſt annum (in cuius anni vtilis locum quadriennium noua Iuſtiniani conſtitutione introductum eſt) non dabitur, quia pertinet quidem ad rei perſecutionē, videtur autem ex delicto dari.[b]

a l. ex hoc edicto. §. vlti. l. quia. l. nā et ſi. ff. de alie. iud. mut. l. 1. ff. quando ex facto tut. l. redhibere, ff. de ædilit. edict.

b l. item. §. vlt. & 3. ll. ſeq. illo tit.

CAP. IIII.

SVprà dicta quidem in eo procedunt, qui ne conueniatur alium ſuo loco ſubſtituit aduerſarium, actoris vexādi cauſa. Quòd ſi is qui agere poterat iudicij quoque mutandi cauſa rem in militem putà, vel alium

poten

potentioré alienauerit,ad hoc edictũ quidem pertinebit, ſed nulla ex eo actio dabitur aduerſus eum qui alienauit (quãuis alij aliter ſenſiſſe videãtur) ſed exceptio tantùm reo cõpetet,qua oppoſita repelletur poſterior dominus:priorem autem dominũ reſpondit Vlpianus experiri oportere,vt res magis quàm lis in poſteriorem translata eſſe videatur.[a] Sed videndũ eſt,ne non hoc Vlpiani conſilium militis fauoré reſpiciat, & ad eas tantummodò alienationes porrigi debeat, quæ liberalitatis cauſa fiunt,nõ autem ad eas quæ oneroſam cauſam cõtinent. Sic enim in Codice Iuſtinianeo Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodoſius, A A A. Ioanni „ præfecto prętorio reſcripſerũt, Si cu„ iuſcunque modi actiones ad poten„ tiorum fuerint delatæ perſonas, debi„ ti creditores iactura multentur. Aper

[a] l. penul. ff. illo tit.

ta enim credentium videtur eſſe vo- "
racitas, qui alios actionũ ſuarum re- "
dimũt exactores. D.V.Id.Iul.Hono- "
rio vij.& Theodo.ij. AA.Coſs.[a] Quã
conſtitutionem monendi ſumus nec
in Iuſtineaneo, nec in Theodoſiano
codicibus integram extare. Sic enim
libro ſecundo Codicis Theodoſiani
ſub titulo de actionibus ad potentes
translatis legitur, Impp. Honorius &
Theodoſius AA. Ioanni P.F.P. poſt
alia, Cuiuſcũque modi cautiones ad "
cuiuſcunque potentum fuerint dela- "
tæ perſonas, debiti creditores iactura "
multentur. Aperta enim credentium "
videtur eſſe voracitas, qui alios actio "
num ſuarum redimũt exactores, &c. "
Dat.6.Idib.Iul.Rauennæ dño noſtro "
Honorio xiij.& Theod.xj. AA.Coſſ.
Sed parũ referre arbitror vtro modo
legatur. Illud quidẽ cõſtat generali-
ter quidem ſcriptã eſſe, & ob id abſur
dum

[a] l.2.C. ne lic. potent.

dum fortaſſe nõ eſſe, ſi eã generaliter & indiſtinctè acceperimus. Quòd ſi ſuprà dicta à nobis exceptione omiſſa ad agendum poſteriorẽ dominum reus admiſerit, ad quanti ſua intereſt alium nõ habuiſſe aduerſarium conſequendum meritò eum agere non poſſe dicimus. Imputare enim ſibi debet qui eum admiſerit quem ſummouere poterat. Secũdùm quæ Martianus ſcribit eum qui iudicij cõmuni diuidũdo euitandi cauſa rem alienauerit, vt potentior emptor per licitationem vilius eam accipiat, & per hoc iterum ipſe recipiat, cõmuni quidem diuidundo iudicio, ſi experiri velit, non eſſe audiendum ex lege Licinia, ſed & is qui emit ſi experiri velit ex hoc edicto vetatur, nõ tamẽ in vẽditorem actio ex hoc edicto decernetur, vt à quibuſdam eruditis viris eſt exiſtimatum. Nam ſociorũ intereſſe

non

non poteſt, potẽtiorem aduerſarium non habuiſſe, cùm ab agendo eum repellere poſſint. Illud quidẽ iis quæ à nobis ſuprà dicta ſunt conueniẽter fatendum eſt, ſociorum intereſſe videri ſi cùm ipſi agere volent, emptorem inuenerint potentiorem aduerſarium. Itaque ex hoc edicto non denegandam eſſe actionem.[a] Quod tamen dicimus ei, in quem ius agendi tranſlatum eſt, denegari actionem, locum non habet, ſi ob valetudinem, aut ætatem, aut occupationes neceſſarias id factum fuerit. His enim caſibus ceſſat fraudis ratio, qua fraude non intercedente, edicto locus eſſe non poteſt. Alioqui interdictum erit & per procuratores litigare, dominio in eos plerunque ex iuſta cauſa trãſlato.[b] Sed de actionum ceſſione nos poſteà videbimus.

a l. vlt. ff. illo tit.

b d. l. iti. §. ſi quis autem.

CAP. V.

QVæ à nobis hactenus relata expoſitaq́; ſunt intelligenda ſunt, ſi futuri iudicij cauſa, non eius quod iam ſit, alienatio facta ſit. [a] Nam ſi iam ſit acceptum iudicium, ad pœnã litigioſi confugiendum eſt, de quo litigioſi vitio nunc vt dicamus, propoſita nobis ratio poſtulare videtur. In qua quidem diſputatione illud in primis animaduertẽdum eſt, litigioſam dici & intelligi rem, ſiue mobilẽ, ſiue immobilem, ſiue ſeipſam mouentem, de cuius dominio cauſa mouetur inter actorem & reum, ſiue citatione ad magiſtratus facta, ſiue precibus imperatori oblatis & iudici inſinuatis, & per ipſum aduerſario eius qui principem adiit cognitis, vt nouella conſtitutione definit Iuſtinianus. [b] Cui definitioni conuenienter idem Iuſtinianus ſpecialem rerũ mobilium

a d.l. ex hoc edicto. §.1.

b 112. de litigioſ.

bilium vel immobilium, vel ſe mouentium hypothecam à litigioſis ſeparat, ita vt liceat debitori eas cui, & quando voluerit vendere, ſic tamen vt ex pretio earum vſque ad debiti quantitatē ſatisfaciat creditori, alioqui creditor eam vindicabit, donec ei ſatis pro debito fiat, pręſertim cùm nulli interuenerint mandatores vel fideiuſſores: niſi anteriores ſint creditores, quibus priuilegia temporum ſeruari debent. Vnde multò minus generales hypothecæ litigioſi vocabulo comprehendendæ ſunt. Secundùm eandem definitionem traditum eſt, litigioſam rem non fieri denuntiatione quæ impediendæ venditionis cauſa fit, veluti ſi debitor creditori denũtiet ne pignus diſtrahat.[a] Ex qua etiam definitione ſequitur, rei litigioſæ alienationem intelligi, ſi ea ab vno ex litigãtibus fiat. Nam ſi in-

[a] *l.1.ff.& C.de litig.*

ter primum & ſecundum lis conteſtata ſit, & ego à tertio emero, qui nullam controuerſiam patiebatur, litigioſam rem emiſſe non intelligor, quia is qui mihi vendidit nullam litẽ habuit: & quia fieri poteſt, vt duo inuicem eius litem inter ſe iungant, qui mecum litigare non poterant [a]. Sed nec ſi reus in ea cauſa fuerit, vt bona eius publicari debeant, ea in litigioſi vitium cadent, ſi pendente accuſatione alienata fuerint. Quòd autem in dicta definitione actoris & rei meminit Iuſtinianus, idem probandum erit & ſi cum procuratore, tutore, curatoréve actoris & rei acceptum iudicium dicetur.[b] Quod quẽadmodum accipiendum ſit mox exponemus.

a d. l. 1. §. 1, §. illo tit.

b d. l. 1. §. vlt.

CAP. VI.

RE autem litigioſa ab altero ex litigantibus alienata, diſcrimen adhi

adhibendum eſſe cenſeo, vtrùm ab actore, an verò à reo alienatio facta proponatur. Siquidem actor alienauerit, exceptione rei litigioſæ ſuccurretur reo aduerſus poſteriorem dominum, quemadmodum cũ iudicij mutandi cauſa actor rem alienauit, reo conſuli ſuprà oſtendimus. Cuius rei argumẽto eſt titulus de litigioſis, qui exceptionum tractatui ſubiectus eſt libro 44. Pandectarum. Si autẽ cum procuratore, tutore, curatoréve, inquit Vlpianus, acceptum iudicium ſit, conſequens erit dicere quaſi cum reo litigetur, ita ad eũ exceptionem pertinere, [a] id eſt, non vt vulgò interpretantur, ſi ab eo emero cum cuius procuratore, tutore, curatoréve agebatur, me exceptione repellendum eſſe, ſed è cõtrario ei, cum cuius procuratore, tutore, curatoréve acceptũ iudicium eſt, exceptionem compe-

[a] d. §. vlt.

tere quaſi cum eo litigetur, ſi fortè actor ipſe rem litigioſam alienauerit. Idq́; eo iure obtinet quod in Pandectas relatum eſt, ſiue res ſoli ſit, ſiue mobilis. [a] Cui etiam conſentaneè imperator Conſtantinus ad prouinciales ſcribit, Lite pendente actiones
„ quæ in iudicium deductæ ſunt, vel
„ res pro quibus actor à reo detẽtis in-
„ tendit, in coniunctam perſonam vel
„ extraneam donationibus, vel emptio
„ nibus, vel quibuſlibet aliis contracti-
„ bus minimè transferri ab eodẽ acto-
„ re liceat: tanquam ſi nihil factum ſit
„ lite nihilominus peragenda. [b] Quod reſcriptũ vt nec in codice Theodoſ. integrum legitur, ita nec hîc apud Iuſtinianum, ſed quibuſdam immutatis, detractis, & additis ex eo Theodoſij codice tranſcriptum eſt, vt ex vtriuſque lectionis collatione perſpici poteſt, & vt diligenter notat Ludo-

uicus

[a] *l. 1. §. vltim. ff. quæ res pig.*

[b] *l. 2. C. de litigioſ.*

uicus Ruſſardus,qui tam aſſiduam & ſtrenuam operam nauat in conferen dis,reſtituendisq́; iuris noſtri authorum libris,vt cornicum oculos confixiſſe,id eſt,nonnullorũ qui ſeſe Duareno noſtro,ſi diis placet,componũt, eiq́; obganniunt, eruditionis & doctrinæ fontes ſummámque detexiſſe videatur. Quòd autem eo in reſcripto lis nihilominus peragenda dicitur, ita accipiendum eſt,niſi tales actiones ad potentiorum fuerint delatæ perſonas.Eo enim caſu Honorij & Theodoſij ſuprà relata à nobis cõſtitutione poſt Conſtantinum cautũ eſt,vt debiti creditores iactura multentur.[a] Ab eodem Honorio & Arcadio edita fuerat conſtitutio de iis qui potentiorum nomine titulos prędiis affigunt,vel eorum nomina in lite prætendũt,vt amiſſione cauſæ mul tentur qui alterius nomen contradi-

[a] d.l.2.C ne lic.potent.

ctoriis libellis aut titulis crediderint inſerendum, nec repetendæ actionis habeant facultatem. Et vt ij qui ſe ſponte paſſi fuerint alienis litibus inſeri, cùm his neque poſſeſſio neque proprietas competat, veluti famæ ſuę prodigos & calumniarum redemptores notantur.[a] Quam Honorij & Arcadij conſtitutionem obiter notandũ eſt corruptè legi in Codice Theodoſiano, reponendámq; eſſe vt in Iuſtinianeo legitur. Ante Conſtantinũ quoque Dioclet. & Max. Impp. retulerunt diuum Claudium cõſtituiſſe, vt iactura cauſæ afficerentur qui ſibi potentiorum patrocinium aduocaſſent, vt hoc propoſito metu iudiciariæ lites potius ſuo Marte diſcurrerent, quàm potentiorum domorũ opibus niterẽtur, & eo modo tenuiores opprimerentur, adeò vt actores ſeu procuratores in ſubſidia negotiorum

[a] l. 1. C. de ijs qui pot. no.

tiorum vel vſurpati gratia vel redē-
pti, ſeuera ſententia à prouinciarum
rectoribus vindicētur.[a] Sed & ab iiſ-
dem imperatoribus, & ante eos à Gor
diano conſtitutū eſt, ne ſub prætextu
debiti fiſcus vel Reſp. procurationem
alicui patrocinij cauſa in lite præ-
ſtet.[b] Quid ergo, quærit Martianus,
ſi prædium quis litigioſum pignori
acceperit, an exceptione ſit ſubmo-
uendus? Et Octauenus putabat etiam
in pignoribus locū habere exceptio-
nem. Quod ait Scæuola libro tertio
Variarum quæſtionū, procedere, vt
in rebus mobilibus exceptio locum
habeat.[c]

a l.1.C. ne lic. potent.

b tit. C. ne fiſc. vel Reſp.

c d. l.1. §. vlt. ff. quæ res pig.

CAP. VII.

QVòd ſi reus litigioſam rem vendiderit emptori ſcienti, quin litigioſi pœna cōpetat non ſolùm aduerſus eum qui ſciens emit, ſed etiam aduerſus alienātem, multa dubitatio

a l. ij. et iij. ff. de litigi.

eſt,[a] ſed quæ fuerit ea pœna ante Iuſtinianũ, nullo in loco me legiſſe memini. Illud quidem Caius ad leg. 12. Tab. notat rem, de qua controuerſia " erat, prohiberi nos in ſacrum dedica" re, alioqui duplam patimur: nec im" meritò, ne liceat eo modo duriorem " aduerſarij conditionẽ facere, ſed du" plum vtrùm fiſco an aduerſario præ" ſtandum ſit nihil exprimitur. Fortaſ" ſis autem magis aduerſario, vt id ve" luti ſolatium habeat, quòd potentio" ri aduerſario traditus ſit.[b] Sed hanc pœnam ad quālibet rei litigioſę alienationem, quę à reo fit, pertinuiſſe affirmare non auſim. Quin autem hæc Caij ſententia in alienante reo intelligenda ſit, ex iam dictis dubium eſſe non debet. Nam ſi ipſe actor in ſacrũ dedicaret, cùm non cogatur reus alium aduerſariũ admittere, non dupli pœnam pateretur actor, ſed exce-

b d. l. iij. ff. eod. tit.

ptione ſummoueretur poſterior dominus. Ex eo quod diximus ſi emptor ſciẽs rem litigioſam emerit, pœnam litigioſi cõpetere, Si ſeruus cum eme " rit, ſcit, ignorauit autẽ dominus, vel " contrà, videndum, inquit Vlpianus, " cuius potius ſpectanda ſit ſcientia. Et " magis eſt vt ſcientia ſit inſpicienda " eius qui comparauit non eius cui ac- " quiritur: & ideò litigioſi pœna com- " petit: ſic tamen, ſi non mandatu do- " mini. Nam ſi mandatu, etiam ſi ſcit " ſeruus, dominus autẽ ignorauit, ſcien- " tia non nocet, & ita Iulianus in re li- " tigioſa notat.[a] Quem Vlpiani quo- a l.l.2. que locum in actore alienante accipi non debere ex his quæ ſuprà diximus manifeſtum eſt. Ad hoc enim vt hæc rei litigioſæ exceptio competat, comparãtis ſcientia non conſyderabatur, quamuis id etiam dici poſſit, emptorem ſcientẽ non ſolùm reo, ſed etiam

actore

actore alienante iure Pandectarum pœnã pati debuiſſe. Quam pœnam non reo (eius enim per exceptionem intereſſe deſinebat) ſed fiſco vindicari ſolitam eſſe probabilius eſt.[a]

[a] arg. d. l. 3.

CAP. VIII.

IVſtinianus autem noua ſua conſtitutione, quæ lata eſt poſt conſulatum Lampadij & Oreſtis, [b] generaliter conſtituit, vt ſi quis lite pendente vel actiones vel res quas poſſidet, ad alium quendam tranſtulerit, ſiue ſcientem, ſiue ignorantem, vitio litigioſi cõtractus ſubiaceat: diſtinctione quadam inter contrahentes obſeruanda, vt ſi quis ſciens vel venditionis, vel donationis, vel alio quouis ex contractu rem acceperit, non ſolùm eam redhibere cõpellatur, ſed etiam pretio eius priuetur, non vt lucro cedat ei qui rem alienauit, ſed vt etiam alia tanta quãtitas ab eo fiſci iuribus infe

[b] l. vlt. C. illo tit.

inferatur:atque ita vterque rei pretio ſeu ęſtimatione multetur. Sinautem ignorans, rem litigioſam emerit, vel per aliam ſpeciem cõtractus eam acceperit,tunc irrita rei alienatione facta pretium cum alia tertia parte pretij recipiat. Iuſtũ eſt etenim propter doloſam mentem vel abſconditam machinationẽ,cùm non emptori manifeſtauerit rem in iudiciũ deductã fuiſſe,tertia parte pretij,ſicut iam diximus,eum puniri:pręter ſcilicet aliã tantam quantitatẽ,quantam in ſuperiore ſpecie fiſco vindicari diximus, id eſt,præter ſolidam rei æſtimationem,vt quibuſdam non ſine magna ratione viſum eſt. Alioqui enim melioris erit conditionis qui ignoranti, quàm qui ſcienti vendiderit,niſi eam tertiam pretij partem ex ea quantitate,quæ fiſco inferebatur,deducẽdam putauerimus,vt ſiue ſcienti ſiue igno

ranti

ranti vendiderit ſolido pretio multetur, nec quicquam interſit, niſi quòd poſteriori caſu tertia pars ex ea quantitate, quæ fiſco alioqui vindicaretur, bonæ fidei emptori dabitur: tali videlicet pœna non ſolùm in aliis contractibus, verumetiam in donationibus porrigenda, vt vera æſtimatione facta, cùm pretij datio non eſt rem ad alium trãsferens, multetur: omnibus inſtrumentis quę ſuper hoc cõficientur nullã vim obtinentibus, exceptis dotis, vel ante nuptias donationibus, nuptiarum ſcilicet fauore: item tranſactionibus etiam cum extraneo cum quo de eadẽ re controuerſia erat, factis, litium vtique finiendarũ gratia, excepta quoque rerum hæreditariarum diuiſione. ἡνίκα γὰρ ἐπίδικα πράγματα, inquit Iuſtinianus, [a] κατὰ διαδοχὴν εἰς κληρονόμους περιέρχεται, οὐκ ὀφείλει ἐκποίησις νομίζεσθαι ἡ τούτων μεταξὺ τῶν συγκληρονόμων διαί

a auth. de litigioſ.

διαίρεσις, id eſt, quando per ſucceſſionem res litigioſæ ad hæredes perueniunt, non debet alienatio intelligi earum inter cohæredes diuiſio. Excipiũtur etiam ij qui vel per legata, vel per fideicómiſſi cauſam, tales res vel actiões dederint, vel acceperint. Sed de re litigioſa in teſtamento relicta poſtea diſſeremus. Hoc autem loco meminiſſe debemus, cùm poſt motã & omiſſam quæſtionem res ad noua dominia bona fide tranſierint à bonæ fidei emptore qui prioris domini acceſſione non vtitur, viginti annorũ ſpatio vſucapi poſſe.[a] Sed etſi rei litigioſæ alienatio vetuſtiorem cauſam & originem iuris neceſſariã habeat, admittendũ eſt eam non improbari, nec in litigioſi vitium cadere[b]. Ex eo ſimiliter quod traditur, ſi hæres nouauerit vel in iudicium deduxerit actionem hæreditariam, deinde eam vendi

a l.1. C. de præſcr. lõgi tempo.

b arg. l. alienationis, ff. fami. erciſcun.

vendiderit, ipſam hãc actionẽ quam nactus eſt præſtare debere emptori,[a] id effici videtur, hæreditatem vel actionem hæreditariam etiam poſt dictatum iudicium alienari poſſe: quãuis in contrarium quoque dici poſſit cogi quidẽ venditorem ad cedẽdam actionẽ emptori, iure præſertim Pandectarum, cùm is emptor litigioſam rem eſſe ignorauit, non ideò tamen conſequens eſſe ipſum emptorẽ agere poſſe, ſi reus litigioſi vitiũ alleget.

a l. ij. §. nõ ſolũ, l. venditor, ff. de hæred. vẽd.

CAP. IX.

MOribus noſtris rei litigioſæ alienatio nõ interdicitur, ſiue à reo ſiue ab actore ea fiat, quamuis reſcripto principis opus ſit, vt is, cui talis alienatio facta eſt, in cedẽtis ſeu alienantis locũ non obſtante litigioſi vitio ſubrogetur. Sed eam ſubrogationem ita demum cõprobari receptum eſt, ſi aduerſarius ſua intereſſe cõqueri

ri non potuerit. Nam ſi interfuerit, eam impugnare volens audietur: nõ ideò tamen emptor, licèt litigioſam rem eſſe ſciuerit, aut venditor prædictas pœnas patietur. Idem probandũ erit, vt eius prolati diplomatis editio repudietur, ſi contra leges, bonóſque mores alienatio facta dicatur: iudici puta, cuius de ea re eſt, aut fuit notio. De qua rei litigioſæ in iudicẽ alienatione facta nuper in cauſa cuiuſdam prouinciæ præfecti magna contentione à Franc. Marillaco, Ioã. Fontenaio, Ioan. Dauide diſertiſſimis aduocatis biduo in Senatu actũ eſt, B. Dumeuillio regis aduocato facundiſſimo grauiter ſeueréque improbante, ac publico nomine poſtulante, vt non ſolùm is præfectus (qui rem emerat, de qua in eius tribunali controuerſia erat, & de qua ipſe ante & poſt alienationem in eum factam

cognouerat) litigioſi pœnam pateretur, & à ſubrogationis petitione ſummoueretur, ſed etiam extra ordinem coerceretur, exq́; vinculis ius diceret. Cuius ſententiam iuſtiſſima de cauſa ſecutus eſt Senatus. Nam & principalibus conſtitutionibus cauetur, ne is qui officij cauſa in prouincia agit, nauem ædificare, vel prædia comparare in eadem prouincia, in qua adminiſtrat, poſſit, præterquàm ſi paterna eius à fiſco diſtrahantur.[a] Sed nec veſtem quidem, authore Cicerone, veteres emere permittebant, quòd ea legibus præberetur: nec mancipium, niſi in demortui locum, ideò quòd putabant ereptionem eſſe, non emptionem, cùm venditori ſuo arbitratu vendere non liceret: in prouinciis intelligebant, ſi is qui eſſet cum imperio ac poteſtate quod apud quemque eſſet emere vellet, ídque ei liceret, fore vti

[a] l. qui officij. ff. de cōtrah. emptio. l. auferetur. §. 1. ff. de iure fiſci.

re vti quod quiſque vellet, ſiue eſſet venale, ſiue non eſſet, quãti vellet auferret.[a] Quæ cauſa fuit vt diligenter eos qui prouincias regunt, quíve circa eos ſunt, id eſt, domeſticos & conſiliarios ab emptionibus remouerẽt: quos nec pecuniam fœnori dare, nec ædificare, nec negotiari permiſerunt (quamuis fœnebrem pecuniam ſumere non prohiberentur.[b] Sed & ſenatuſconſulto cauetur, vt de his quæ prouincias regentes, comitésve, aut liberti eorum, antequam in prouinciam venirent, contraxerunt, parciſſimè ius dicatur, ita vt actiones, quæ ob eam cauſam inſtitutæ non eſſent, poſteaquàm quis eorum ea prouincia exceſſerit, reſtituantur: ſi quid tamen inuito accidit, veluti ſi iniuriã aut furtum paſſus eſt, hactenus ei ius dicendum eſt, vt litem conteſtetur, résque ablata exhibeatur, & depona-

a act.6.in Verrem

b l.princi palibus. l. præſidis.ff. ſi cert pet. Cic. act.5. in Verr.

tur, aut ſiſti exhiberíve ſatiſdatò promittatur. [a] Sed ea quæ de emptionibus & ædificationibus dicta ſunt, ſecundùm Iuſtiniani diſtinctionem accipienda ſunt, vt in vrbe quidem Cõſtantinopoli quicunque adminiſtrationem regũt, mobiles res, vel immobiles emere, vel domum extruere non aliter poſſint, niſi ſpecialiter reſcripto principis eis ſit permiſſum: donationes verò omnimodò recuſent, ſciẽtes non eſſe validas eas in quibuſcũq; rebus, & quacunque ęſtimatione, niſi poſt depoſitam adminiſtrationẽ vel donator eandem donationem in ſcriptis ſpecialiter ratam habuerit, vel quinquennium ſine vlla controuerſia effluxerit. In prouinciis autem nec emere, nec gratis accipere concedatur, tametſi id à principe impetrauerint, vel poſt depoſitam adminiſtrationem ratihabitio donatoris, vel vẽdito

a l. Senatuſcõſulto. ff. de offic. præſ.

ditoris ſecuta fuerit, vel quinquenniũ præterierit, adeò vt nec per interpoſitam perſonam aliquid eorum ſine periculo poſſit perpetrari. Quæ etiã ad præterita negotia referuntur, fortè quia leges quoque anteriores tales emptiones vetabant, vt à nobis modò relatum eſt:[a] niſi tranſactionibus, vel indicationibus ſopita ſint (licèt hæc poſtrema conſtitutionis verba in quibuſdam exemplaribus deſint) Excipiuntur ab hac conſtitutione hæ emptiones & donationes quæ ad alimoniam, & ad veſtes pertinent[b]. Veſtes enim à populo vel legibus dari deſierant, alimonia verò de publico dari non poterat. Sed & eſculentum & poculentum, quod intra proximos dies prodigitur: item xenia quæ munerum qualitatem non attingunt ſumere Romanis legibus erat conceſſum.[c] Id quod tamẽ literis ſacris pro-

a arg.au th.de rap mul.quæ rapt.nub.

b l.1.C.d contract. iud.

c l.ſolet.ff de off.pro conſ. l. pl biſcito.ff.d offic.præſ.

hibitum reperimus, quòd ea munera ſapientum oculos excæcẽt, iuſtorum verba mutent, & quaſi frẹnum in ore
a Exod. auertant correptiones, [a] ὅταν γὰρ, in-
23. Deut. quit Demoſthenes, [b] ἐπὶ θάτερα ὥσπερ εἰς
16. Eccleſi.
20. τρυτάνην ἀργύριον προσενέγκης, οἴχεται φέρον,
b περὶ καὶ καθείλκυσε τὸν λογισμὸν ἐφ᾽ ἀυτό, καὶ οὐκ
τῆς εἰρ. ἔτ᾽ ἂν ὀρθῶς οὐδ᾽ ὑγιῶς ὁ τοῦτο ποιήσας περὶ
οὐδενὸς ἂν λογίσαιτο. Id eſt, vt nos aliquando vertebamus, Quando in alteram partem velut in trutinam argentum impoſueris, id rationem & cogitationem abducit, & ad ſeſe deorſum trahit, nec amplius vlla de re ſyncerè rectéque iudicare poteſt, quicũque hoc admiſerit. Idem de cæteris rebus, quod de argento iudicandum. Quæ cùm ita ſint, quid de iis ſentiẽdum, qui cùm Reip. clauum teneant, tamen à capiundis muneribus, donationibus, legatis, & hæreditatibus nõ temperant? an viros bonos eſſe talésq; habe

haberi debere putabis? Si quid autem à præſide ſeu proconſule vel quolibet alio in ea prouincia, in qua adminiſtrat licèt per ſuppoſitam perſonam, fuerit comparatum, infirmato contractu vindicatur, & æſtimatio eius fiſco infertur.[a] Sed hæc quidem legibus Romanorum, apud quos perpetui magiſtratus non erant, obtinebāt, vt eorum auaritię occurreretur, & ne imperij prætextu res quas vellent per iniuriam ab inuitis dominis & poſſeſſoribus extorquerent, vt nos ex Cicerone retulimus. Apud nos verò, quia perpetua eſt magiſtratuum poteſtas & imperium, rerum emptiones & donationes eis interdictę non ſunt (licèt constitutione Caroli quinti prohibeātur officiales regij actionem redimere, vel donatam ſuſcipere, vt nos poſteà dicturi ſumus) quòd durum viſum ſit eos, qui magiſtratus gererēt,

a l. Lauſertur. §.1. ff. de iure fiſci.

domum ſuam nunquã inſtruere poſſe, nec poſſeſſiones ſibi ſuíſque comparare. Quam emendi facultatem Honorium quoq; in adminiſtratione & militia poſitis conceſſiſſe refert Valentinianus,qui & ipſe conſtituit, vt illis prædia ruſtica vel vrbana vel quaſuis alias res ſibi ſuíſque quacunque ex cauſa,ſiue emptione,ſiue permutatione,ſiue donatione cõparare liceat,dummodò à iuris ciuilis præceptis non recedatur,id eſt,fraus,dolus,vel vis non interueniant.Id quod non minus bono publico,quàm humanitate ſuadente conſtitutum eſſe videri poteſt. Nam cui durum non fuerit,hanc libertatem in contractibus cæteris quidem concedi,his verò ſolis,qui ad honores euehuntur,denegari?Sed & ex ea contrahendi data licentia fit,vt diligentius fideliúſque munia publica ab his obeantur,

quòd

quòd videant ſe emptionibus,commutationibus, donationibus, aliíſve quibuslibet rerum acquirendarum modis non tantùm ſibi,ſed etiam poſteris ſuis proſpicere poſſe,quibus plerunque æquè ac nobis cautum eſſe volumus. Adde,quòd ſi emptor dolum,vel vim adhibuerit, & pretij,& rei emptæ amiſſione multetur,& venditor,qui hæc falsò cauſatus fuerit, pretium emptori,rato manente contractu,reſtituere debeat.Non hæc tamen ideo à nobis referri volumus,vt qui magiſtratus gerunt,priſcis illis Ethnicis humaniores faciliorésque videri,ſacrarúmque monitionum ac præceptionum authoritate contēpta καὶ πάντα, καὶ παντότε, καὶ παρὰ πάντων capiendi ius ſibi vindicare debeant, ſed vt obiter intelligamus,id ſolummodo ex vetere illa diſciplina tanquam ex naufragio, nobis relictum

eſſe, ne rem in ſuo auditorio contro-
uerſam emant, aut quauis alia ex cau
ſa in ſe transferri patiantur. Quòd
autem de his, qui poteſtatem habent,
iure cautũ eſſe retulimus, idem quo-
que ad aduocatos & procuratores por
rectum eſt, vt ſi ſuſpenſa lite ſocieta-
tem futuri emolumenti cum cliente
coierint, malo more interpoſita ea pa
ctio intelligatur, nec ex ea quicquam
petere poſſint, quòd litium redem-
ptoribus ac concinnatoribus ſimiles
eſſe videantur,[a] nec ab iis multũ dif-
ferre, qui per oppreſſionem aliquid
extorquent. Quinimò ſi quid præter-
eà de ſuo in eam litem impenderint,
id amittere debent, eíſque aduoca-
tionibus tanquã deprædatoribus pe-
nitus eſt interdicendum.[b] Cuius cõ-
ſtituti iuris ratio altius ex eo peti po-
teſt, quòd lege Cincia, ſiue Cinthia,
ſiue vt alij Titia (cuius ſuaſor fuit Q.
Ma

[a] l. 1. §. ſed hoc ff. de var. et ext. l. ſumptus. ff. de pact. l. quiſquis. C. de poſtul. l. litem. C. de procur. l. ſi contra licitũ. C. mãd.

[b] l. ſi remunerandi. §. Marius. ff. mand. l. ſi qui. C. de poſtul.

Maximus ſenex)cauebatur, vt eſt apud Tacitum ne quis ob cauſam orãdam pecuniam, domúmve acciperet (hinc Muneralis dicta ea lex authore Feſto Pompeio) quòd

Turpe reos empta miſeros defendere lingua,
Quòd faciat magnas turpe tribunal opes.

Vnde gloriatur Plinius,[a] quòd in cauſis agendis non modò pactione, dono, munere, verùm & xeniis ſemper abſtinuerit. Verùm ea lex, aliáque ea de re facta Senatuſcõſulta, paulatim in vſu eſſe deſierunt, cœperúntq; aduocati non tanquam mercedem accipere, ſed mutua beneuolẽtia vti (quo beneuolentię, humanitatíſque genere ſæpe lubenter erga ſuos clientes vtũtur Baſilicæ noſtræ cauſarum patroni) tandémque temporibus Claudij Cæſaris & Neronis Imperatoris ſalaria aduocatis certa conſtituta ſunt, denegatúſque eſt tantummodò

[a] *lib. 5. Epiſt.*

Pira

Piraticus, quem vocat Fabius,[a] hic pa ciſcendi mos ſuſpenſa lite de futuro emolumento: qui ex Areſto curiæ Pariſienſis doloſus iudicatus eſt. Huc etiam pertinet, quod Valentinia. Valens & Gratianus Imppp. medicos patiuntur ea tantùm accipere, quæ ſani offerunt pro obſequiis, non ea quę periclitantes pro ſalute promittunt.[b]

a lib. 12. cap. 7.

b l. archiatri. C. de pfeſſ. & med.

CAP. X.

SEd hæc de litigioſis inter viuos alienatis. Quòd ſi contigerit alterutrum ex litigantibus Imperatori ré litigioſam quouis modo in teſtamento relinquere, ſciendum eſt, id æquè ſaltem inuidioſum eſſe, atque cùm futuri adhuc iudicij inſtituitur hæres: itaquè rectius facturum, ſi nihil ex ea hæreditate vel legato ſuſceperit. Nec enim calumniæ facultatem ex principali maieſtate capi oportet,[c] vt à nobis

c l. imperatorem ff. de hære. inſtit.

nobis eſt ſuprà tractatum. Rectè igitur, vt eſt apud Iuſtinianum[a], & Capitolinum,[b] Imperator Pertinax, oratione habita nullius ſe aditurum hæreditatem profeſſus eſt, quæ aut adulatione alicuius delata eſſet, aut lite perplexa, vt legitimi hæredes & neceſſarij priuarentur: addidítque ſenatuſconſulto hæc verba: Sanctius eſt, " P. C. inopem Remp. obtinere, quàm " ad diuitiarum cumulum per diſcri- " minum & dedecorum veſtigia perue- " nire. Multò minus rerũ, vel actionum litigioſarum donationẽ inter viuos admittet fiſcus, vel princeps[c]. Verum enimuerò meminiſſe debemus huius inuidiæ eleuandæ calumniæque effugiendæ gratia, poſteà à Gratiano, Valent. & Theodoſ. generaliter cõſtitutum fuiſſe, vt quicunque rem litigioſam, vel ambiguum chirographum, " quodlibet deniq; mobile, vel immo- " bile

a §. vlti. quib. mod. teſt. infir. in Inſtit.
b In Pertinace.
c l. ij. C. ne fiſcus, vel reſpu. l. res quæ, ff. de iure fiſci, arg. l. 3. & 4. c. quãdo fiſcus.

„ bile fiſco, vel potentiori, ſeu aliis per-
„ ſonis in teſtamento ſiue codicillis le-
„ gauerit, fideíve commiſerit, aut per
„ hęreditatem reliquerit, nullam fiſcus
„ vel alia perſona licentiam habeat iur
„ giorum, nec iudicium ſubeat, ſed æſti
„ matio eius litis ineatur, præſtanda iis
„ quibus actiones vel res litigioſæ reli-
„ ctæ ſunt, eandémque litem ipſi hære
„ des peragant, ſuarum actionum peri
„ culo, ea quæ litigioſa fuerant relicta
„ vindicantes. Quod de chirographis
„ placet, vt hæredes relictorũ fiſco, vel
„ aliis perſonis præſentem pecuniã nu-
„ merent, & iudicio eos quos obnoxios
exiſtimant perſequantur.[a] Secũdum
quam cõſtitutionem intelligi poſſet
quod poſt hos Imperatores Iuſtinia-
nus in fine conſtitutionis, de qua ſu-
prà meminimus, alienationem exci-
pit rei litigioſæ per legata, vel fideicõ
miſſa factæ, niſi idem poſteà ab ea re-
ced

a L. iij. C. de litigioſ.

cederet ſententia Nouella 112. in qua vult,vt ſi hæres ſuperior fuerit in lite, legata relicta debeãtur omnimodò: ſi verò victus fuerit,nihil legatarium exigere poſſe, quoniam ſciens teſtator rem litigioſam eſſe,litis euentum legatario dereliquit. Itaque concedi legatariis,vt cauſæ adeſſe poſsint, & eam agere,ſi ſuſpicantur non ex fide hæredem eam agere.[a]

CAP. XI.

Atque hactenus de alienatione, quæ vel iudicij mutandi cauſa, vel lite iam pendente facta eſſe dicetur. Supereſt paucis videamus de actionũ ceſsione,quæ nec iudicij mutandi cauſa, aut iudicio iam cœpto fit. Qua de re extat in codice Iuſtinianeo Anaſtaſij Imperatoris conſtitutio:[b] quam veriſimile eſt ſub titulo mandati iccirco relatam eſſe & adſcriptam,quòd is,cui ceſſa eſt actio, in

a authẽ. de litigio. arg. l. ſi perluſorio, ff. de appellat. l. ſi ſuſpecta, ff. de inoff. teſta. l. Paulus reſpondit. ff. de procur.

b l. p diuerſas, C. mãd.

in rem ſuam procurator conſtitutus videatur, & tanquam mandatum accepiſſe, vt actione ſibi ceſſa experiretur. Ea autem conſtitutio in eos edita eſt, qui alienis rebus fortunísque inhiantes ceſſiones aliis competētium actionum in ſemetipſos exponi, hócque modo diuerſis perſonas litigatorum, id eſt, eorum qui ſe nihil debere (iudicio tamen nondum accepto) cōtendunt, vexationibus afficere properant (qui ideò redemptores alienarum litium, ac interceptores, ſeu vitilitigatores videri dicuntur) cùm certum ſit pro indubitatis obligationibus (id eſt, ſi hi, qui obligati dicūtur, debitum non inficiantur) eos magis quibus antea ſuppetebāt iura ſua vindicare, quàm ad alios ea trāsferre velle minimo pro iis obligationibus accepto. Ita tamē huiuſmodi conamen inhibetur, vt ſi quis datis pecuniis hu

iuſmo

iuſmodi ſubierit ceſſionem, vſque ad ipſam ſolummodò ſolutarum pecuniarum quantitatem & vſurarũ eius actiones exercere permittatur, licèt inſtrumento ceſſionis venditionis nomen inſertum ſit. Excipiũtur autem ceſſiones hę quas inter cohęredes pro actionibus hæreditariis fieri contingit. Nam & in familiæ erciſcundæ iudicio permittitur iudici rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare, & ſi vnius pars prægrauari videbitur, eum inuicem certa pecunia alteri condemnare.[a] Quod cùm in communi diuidũdo & finium regundorum iudiciis receptũ ſit, vt in his ſimili modo adiudicationes fiant iudicis officio, nihil cauſæ eſt, meo iudicio, quin ceſſiones actionum admittere debeamus inter ſocios, præſertim, & eos qui confines agros habent, licèt id Anaſtaſiana conſtitu-

[a] §. quendã, de act. in Inſtit. l. planè. ff. fa. erciſc.

tione non ſit comprehenſum. Sed de illo quæri ſolet, an hæreditariç actionis ceſſio inter extraneas perſonas probanda ſit. In cuius quæſtionis explicatione ſomnia ſibi fingunt interpretes noſtri, dum huius hæreditariæ actionis ceſſionem ſeu venditionem ita demum valere conſtituere videntur, ſi poſſeſſor conuentus rei quæ petitur retinendæ cauſa ius ſiue actionem ab aliquo emat. Quo quid alienius aut ineptius dici poteſt? magis igitur eſt, vt miſſis eorum deliriis ea quæ de hæreditariarum actionũ ceſſione ſeu venditione in Pandectis & Codice à retrò principibus & Iurecõſultis pluribus tradita ſunt, ſecũdùm Anaſtaſianam conſtitutionem interpretemur, vt talis emptor nihil amplius accipiat, quàm ipſe vero cõtractu re ipſa perſoluit. Nam cùm ceſſiones hæ, quæ inter hæredes pro actionibus

nibus hæreditariis fiunt, excipiantur, conſequens eſt dicere eas ad conſtitu tionem pertinere, quæ non inter cohæredes, ſed inter extraneas perſonas fiunt. Secundùm quæ etiam ſumendum erit quod Iuſtinianus, qui poſt Anaſtaſium Romano Imperio præfuit, ait certi & indubitati iuris eſſe ad ſimilitudinem eius qui perſonalem redemerit actionem, & vtiliter eam mouere ſuo nomine conceditur, etiam eum qui in rem actionem comparauerit, eadem vti poſſe facul tate [a], vt ſcilicet vſque ad ſolutã quan titatẽ actiones exerceat qui eas redemit. Excipiuntur etiam ab Anaſtaſiana conſtitutione ceſſiones hæ quas creditor pro debito accipit. Ideóque ſi creditori, cui decem debebantur, debitor nomẽ viginti aureorum pro debito ceſſerit, non decem tantummodò quæ reuerà per eam ceſſionem

[a] *l. vlt. C. de hæred. vend.*

remittendo ſoluiſſe intelligitur, ſed viginti conſequetur, quia non tam actionem redemiſſe putandus eſt, quàm id egiſſe vt quod ſibi debebatur quouis modo recipere ſeruaréque poſſet. Idem probandum erit, ſi is qui res alienas poſſidet, pro earum rerum apud ſe conſtitutarum munimine ac tuitione, & ne eas domino reddere compellatur, ius hypothecæ ab eo, cui dominus eam conſtituerat, ſibi cedi vel minimo dato curauerit. Itẽ excipiuntur ceſsiones hæ, quas inter legatarios ſeu fideicõmiſſarios, quibus debita, vel actiones, ſeu res aliæ relictæ ſunt, pro his fieri neceſſe ſit, Quibus exceptis, nec vlla tali ratione intercedente, redemptor (ſicut ſuperiùs declaratum eſt) magis exiſtit qui alienas pecuniis præſtitis ſubiit actiones, quàm verus actionis emptor. Si autem per donationem ceſsio facta eſt,

eſt, ſciant omnes huiuſmodi legi locum non eſſe, ſed antiqua iura eſſe ſeruanda, vt ceſsiones tam pro exceptis & ſpecialiter enumeratis, quàm aliis cauſis factæ ſeu faciendæ ſecundùm actionum, quæcunq; ceſſę ſunt, vel fuerint, tenorem ſine quadam imminutione obtineant. [a] Quæ verba non generaliter accipienda ſunt (alioqui ſuprà dictis repugnarent) ſed ad donationis cauſam adſtringenda, vt ſenſus ſit, ſiue inter cohæredes, legatarios, ſeu fideicommiſſarios, ſiue creditori à debitore, ſiue rei alienæ poſſeſſori à creditore (qui caſus excepti ſunt, & ſpecialiter enumerati à lege) actionis per donationem ceſſio facta, ſiue alio quouis modo celebrata ſit, is cui talis actio ceſſa eſt eã ſecũdùm illum tenorem exercere poteſt, id eſt, id omne conſequi debebit quod is cuius perſona fungitur. Qui-

[a] d.l. per diuerſas.

bus conſequens eſt, vt nomen debitoris legari poſsit.[a]

a l.nomẽ. ff. de leg. 3.

CAP. XII.

ET hæc quidem ab Anaſtaſio de actionũ ceſsione cõſtituta ſunt. Cui cõſtitutioni, cùm fraus ab iis qui circa lites morantur, fieret, quòd partem quidem debiti venditionis titulo transferrent, reliquam autem partem per coloratam cederent donationem, atque eo modo id omne con ſequerẽtur quod is poterat cuius perſona funguntur, partem quidem, quatenus in venditionis cõtractu numeratũ eſſet, id quod priore legis Anaſtaſianæ parte conceſſum erat, reliquam verò partem donationis titulo conſequerentur, id quod poſteriori-bus eiuſdem legis verbis permittebatur. Nam cùm nulla totius ac partis diſtinctio ea conſtitutione introducta eſſet, & liceret totum debitum do

natio

nationis titulo ceſſum exigere, quare & partem nõ permitteretur? Eam ob rem Iuſtinianus & Anaſtaſianæ con ſtitutiõi ſubueniẽs ſanciuit, [a] vt quãuis per ſuppoſitam perſonam alterius partis per donationem ceſſio facta ſit, nihil tamen amplius exigere liceat, quàm quod vero cõtractu perſolutum eſt, ſed omne quod ſuperfluum eſt & per figuratam donationem translatum, inutile eſſe ex vtraque parte, & neq; ei qui ceſſit actiones, neque ei qui eas ſuſcipere curauit aliquid lucri vel fieri, vel remanere, vel aliquam contra debitorem, vel res ad eum pertinentes eſſe vtrique eorum actionem. Sed & ſi quis donationem quidem omnis debiti facere aſſimulauerit, vt videatur eſſe tota donatio, aliquid autem occultè ſuſceperit, & in hoc caſu tantummodò exactionem ſortiri eius, quod datum eſſe

[a] L. vlt. C. mand.

comprobatur, & ſi hoc à debitore perſoluatur, nulla contra eũ, vel ſubſtantiam eius ex diſſimulata donatione oriatur moleſtia.[a] Plus enim valere debet quod agitur, quàm quod ſimulate cõcipitur.[b] Supradictis monẽdi ſumus ἀπροσδιόνυσα eſſe, quæ hoc loco de ſimulatis cõtractibus & paruitate pretij infinitis penè columnis à vulgaribus interpretibus inculcãtur, modò id ſimpliciter habuerimus ſimulatum hîc apud Iuſtinianum cõtractum intelligi, ſi pro parte quidẽ actio venditionis titulo, pro reliqua verò donationis titulo transferatur, aut cùm apertè donatio totius debiti ſit, occultè autem aliquid ſuſcipitur: nec vltra id quod numeratum eſt exactionem aduerſus debitorem competere, quomodocunque & quibuſlibet perſonis actio cedatur. Vt mirũ ſit quoſdam, cùm quædam inops mu-

lier

a d.l.vlt.

b tit. C. plus val.

lier ſex millium florenorum ſummã, quam à potentiore debitore cõſequi non poterat, alij æquè potenti pro duobus millibus ceſſiſſet, reſpondiſſe vniuerſum debitum exigi poſſe.[a] Illud autem magis ad hanc cedendarum actionum diſputationẽ pertineret, vt quæreretur, qui cedere & quibus cedi poſſent, quando compellatur quis cedere, quæ actiones cedi poſſint, quæ actiones competant ei qui iure ceſſo vti vult, an cedentis cõfeſſio ei noceat cui cõfeſſio facta eſt. Sed nos aliò properantes horum & his ſimilium locorum diſquiſitionẽ in aliud tempus reiiciemus. Sat enim in præſentia habuimus, breuiter ac ſummatim notaſſe quænam vis & effectus eſſet actionis, quæ nec iudicij mutandi cauſa, nec lite pendente cederetur.

a not. in d. l. per diuerſas.

CAP. XIII.

PRo coronide tamen huius inſtitutæ diſputationis ſilentio prætereundum non eſt, apud nos extare Caroli quinti conſtitutionem : qua ex trium regni conuentuum, ſeu ordinum iudicio, & ſententia cautum eſt, irritas, nulliúsque momẽti actionum ceſſiones eas eſſe, quæ vel in potentiorem, vel in officialem regium, vel in eum, qui ſtudiorum ratione, aliáve ex cauſa priuilegiũ habet, cõferuntur: ſiue per venditionem, ſiue per donationem, ſiue alia quauis ex cauſa fiant. Quòd ſi aduerſus ea factum erit, actionum ſuarum damnũ patientur qui tales ceſſiones fecerint, & qui eas ſuſceperint, pro arbitrio iudicantis pecuniariter multabuntur, in ídque, quod ob eas ceſſiones reorũ intererit, condemnabuntur. Qua cõſtitutione iis, quæ à nobis relata expoſi

poſitáque ſunt, derogatum eſſe nemo non videt, & non tantùm cedentis, ſed etiam eius, qui ceſsionem ſuſcepit, dolum vindicari, iíſque etiam cõſuli, in quorum damnum & fraudẽ tales fiunt ceſsiones. Sed & huic conſtitutioni poſteà derogatum fuiſſe indicant Ludouici duodecimi de ſcholaſticorum priuilegiis eorúmque abuſu, itẽ de reformatione priuilegiorũ vniuerſitatum latæ conſtitutiones, quibus comprehenſum eſt, non aliàs ceſsiones ſcholaſticis factas valere, quàm ſi hæ à patre filio, fratre fratri, patruo vel auunculo fratris filio factæ fuerint. Quibus etiam caſibus tã is qui cedit, quàm is, cui ceditur, ſolenni iureiurando præſtito affirmare tenentur, hic coram ſuo conſeruatore, ille coram iudice ordinario ceſsionem veram & non ſimulatam eſſe, planéque in commodum & vtilitatem

tem ſcholaſticorum, quibus ceditur, eam verti, nec quicquam cedenti per eam retineri aut reſeruari. Quæ & alia pleraque maiorum noſtrorum inſtituta oſtendunt non minori curæ illis fuiſſe liberalium artium profeſſionem, quàm fuerit priſcis Romanis Imperatoribus, quos memoriæ proditum eſt multis maximíſque honoribus, priuilegiis, & ſalariis ornaſſe eos qui Reip. vtiles & neceſſarias profiterentur artes.

FINIS.

ADRIANI PVL-VAEI LEGVM DO-CTORIS,

Et in ſuprema curia aduocati, commentatio in l.interpoſitas, C.de tranſact.

V. CL. CHRISTOPHORO Harlęo, ſupremæ curiæ præſidi æquiſsimo, Adrianus Pulu æus S. D.

PRudenter à Iuris noſtri autoribus animaduerſum eſt, æquiſſime præſes, nulla re magis, quàm mutua inter ſe ciuium pace & concordia hanc humani generis ſocietatē retineri ac conſeruari poſſe: contrà verò diſſenſionibus euerti ac labefactari, quòd ex his ſæpenumero partes ad rixam & arma procedant, indéque cædes oriantur. Itaque quantùm in ipſis fuit, litibus hominum finiendis ac dirimendis priſci illi ſapientes operam dederunt. Hinc iuriſiurandi religio, rerum iudicatarum authoritas, compromiſſum, pacta conuenta, tranſactiones, & his ſimiles controuerſiarum diſtrahendarum

rum tollendarúmque modi. De quibus Achilles tuus, cùm in veſtrum collegium & ordinem eſſet cooptandus, tanto cum totius eius ordinis applauſu & prædicatione hodie manè dixiſſe fertur, vt cunctis ſuffragijs in eum conſul ſit adſcriptus. De *qua tam honorifica filij cooptatione, hæc in* Diocletianum *reſcriptum, quod ei ad dicendum ſorte obtigiſſe audio, conſcripta à me rudis & ſimplex commentatio, tibi optimo ſuauiſsimóque patri gratulatur, eúmque etiam conſulem ſalutat.* Vale, *ex ædibus* Cl. *Senatoris* G. *Aboti collegæ tui,* Cal. *April.* 1558.

IMPP. DIOCLETIAN. & Maximia. A A. Probæ.

INterpoſitas metus cauſa tranſactiones ratas nõ haberi, edicto perpetuo cõtinetur. Nec tamen quilibet metus ad reſcindenda ea, quæ conſenſu terminata ſunt, ſufficit: ſed talem metũ probari oportet, qui ſalutis periculũ, vel corporis cruciatum cõtineat. Ad vim tamen vel dolum arguendum, qualitas cauſæ principalis non ſufficit. Vnde ſi nihil tale probari poteſt, conſenſu quæſtiones terminatas minimè inſtaurari oportet. Sed quoniã eum, cum quo te tranſegiſſe commemoras, ex ancilla tua natum ſeruum

tuum eſſe aſſeueras:ſi vera ſunt,quæ precibus complexus es:alia ratio pactum reformat. Nec enim dubij iuris eſt,dominos cum ſeruis ſuis paciſcentes,ex placito teneri atq; obligari nō poſſe. S.iiij.non. April. Byzantij,ipſis iiij.& iij. A A.Coſſ.

Ratas non haberi, edicto perpetuo continetur. Quid ſit edictum perpetuū, & an per vim,metum,vel dolum initi contractus ipſo iure ſubſiſtāt necne,nos alibi exponemus: neque verò huius eſt loci,aut inſtituti de iis diſſerere.

Nec tamen quilibet metus. Meticuloſi ſcilicet & vani cuiuſdam hominis,& cui,vt dicebat Sophocles, ἅπαντα ψοφεῖ, veluti ſi quis fundum ſuum dereliquerit, audito quòd quis cum armis veniret, [a] vel eum vendiderit, ne ad ciuilia munera vocaretur, [b] vel cùm quis inſtitutam accuſationē vel futu

a l.9.ff.de eo quod met.cauſ.
b l.cum te. C.ill.tit.

futurã metuit.[a] Hos nanq; adeò timidos ignauóſque homines, non abſimiles vtique iis qui cùm nauis aduerſa tempeſtate iactaretur, ſibiipſis manus, antequam naufragium fieret, attulerunt, dignos eſſe non cenſuerunt, qui prætoris beneficio iuuarentur. Indignum eſt enim, ait ille,

a Laccuſationis. C. ill. tit.

Δειλὸν κεκλῆσθαι, καὶ νοσεῖν αἰσχρὰν νόσον. "

Sed talem metum probari. Iuris noſtri authores in interpretatione edicti prætorij, quod de eo quod metus cauſa geſtum eſſe dicetur, propoſitũ eſt, metum accipiendum eſſe dixerunt, non leuem quandam eius inferendi ſuſpicionem, ſed præſentẽ, & qui meritò in hominem conſtantiſſimum cadat, propter inſtans tamen vel futurum periculum,[b] non autem propter præteriti iam mali recordationem. ἐκεῖνο γὰρ (inquit Planudes) τοῦ φό- "
βον παρέχεσθαι προυβαίνει, τὸ δὲ, τέλος φόβοις "

b l. 5. 6. 9. ff. ill. tit.

„ ἐπιτίθησι. Et vt rectè à Diogene dictũ
„ eſt, πάντα μὲν οὖν τὰ δεινὰ πέφυκε μᾶλλον
„ ἐκπλήττειν τοὺς προσδεχομένους, ἢ λυπεῖν
„ τοὺς παραθέντας. Ideóque etiam belliſ-
a libr.4. Quæſt Tuſ. ſimè Cicero [a] metum definit opinio-
nem impendentis mali, quod intole-
rabile eſſe videatur. Et apud Ariſto-
b libr.3. Ethic. telem [b] metum quidam ſimiliter de-
finiunt, mali expectationem. Huiuſ-
ce autem metus permulta paſſim in
Iureconſ. noſtrorum fragmentis repe
riuntur exempla. Quorum illud qui-
dem primum locum optimo iure ſi-
bi vindicat; quod ſalutis periculum,
vel corporis cruciatum continet. Hic
enim metus, ſi quiſquam alius, iuſtus
„ exiſtimandus eſt. Quis eſt enim, in-
„ quit M. Tullius, aut quotus quiſque,
„ cui mors cùm appropinquet, non re-
„ fugiat timido ſanguis atque exalbe-
c lib 5. de Fini. bon. ſcat metu? [c] quòd, vel ipſomet Ari-
ſtotele philoſopho authore, omnium
nihil

nihil morte terribilius, nihil acer-
bius, præſertim cùm omnium rerum
ſit extremum, & vltra iam nullo in
malo aut bono ſint mortui. Itaq; ni-
hil mirum, ſi dolorum cùm admonẽ-
tur faces, præter modum plerique ex-
terrentur. Vita, mors, diuitiæ, pauper
tas, omnes homines vehementiſſimè
permouent[a] (Quanquam non philo — a Cic.lib. 2 Offic.
ſophi tantùmmodò, ſed & permulti
alij ſcriptores mortem eſſe contem-
nẽdam ſuadent, τὸ γὰρ φοβεῖσθαι, ait ille, “
τὸν θάνατον λῆρος πολὺς) Quinetiam fe “
ræ ipſæ, inquit Pacuuius apud eũdem “
Ciceronem,[b] quibus abeſt ad præca- — b lib.5.de Finib.bon.
uendum intelligendi aſtutia, ſibi in- “
iecto terrore mortis horreſcũt. Quis “
autem de ipſo ſapiente aliter exiſti- “
mat? qui etiam cùm decreuerit eſſe “
moriendum, tamen diſceſſu à ſuis, at- “
que ipſa relinquenda morte mouea- “
tur? Proinde ſi magiſtratus per iniu-

riam , mortis aut verberum terrore, pecuniam alicui extorſit,vel per oppreſsionem ad alienationem compulit: aut ſi quis in furto,vel in adulterio,vel in aliquo alio flagitio deprehenſus,vel dedit aliquid,vel ſe obligauit ne occideretur,vel proderetur, quia mortem vel vincula timuit,& geſtum eſt malo more, edicto locus erit.[a] (quamuis eius quod ita datum eſt,repetitio ceſſet, quia iniuſta ſeu turpis cauſa in eo verſatur[b]) Et ſi medicus cui curãdos oculos ſuos qui eis laborabat,commiſerat,periculum amittẽdorum eorum per aduerſa me-
„ dicamina inferendo compulit, vt ei
„ poſſeſsiones ſuas contra bonam fidẽ
„ æger venderet, inciuile factum præ-
„ ſes prouinciæ coercebit, rẽmque re-
„ ſtitui iubebit:[c] quemadmodum cliẽti ſuccurritur,qui pendente lite cum aduocato cõtraxit. Idem & ſi in car-

a l.3.§.1. l.7.8.ff ill. tit.l.penul. C. eod.l 1. ff.de cõcuſ.

b l.4.et 6. ff.de condict. ob turp.cauſ.

c l.ſi medicus. ff.de var.et ext.

cerem quis detruſus ſit, vt aliquid ei extorqueatur, tametſi carcer pœnæ infligendæ cauſa non ſit inuentus.[a] Et ſi quis ſeruum inuitus manumiſerit, vel ædificiũ depoſuerit, aut ſi manu adhibita in meo ædificaueris, vel poſſeſsionẽ per vim tibi tradiderim, item ſi fundũ reliquerim, poſtquàm milites armati ingreſsi ſunt:[b] Quinimo & aſpectus armorum, authore Cicerone, ad vim probandam valebit. Sic enim ille in oratione pro Cecinna ſcribit: At verò hoc quidẽ iam
" vetus eſt, & maiorum exemplo mul-
" tis in rebus vſitatum, cùm ad vim fa-
" ciendam veniretur, ſi quos armatos
" quamuis procul conſpexiſſent, vt ſta
" tim teſtificati diſcederent, optimè
" ſponſionem facere poſſent, ni aduer-
" ſus edictum prætoris vis facta eſſet.
Sed eſt quæſitum quid de metu amiſſionis omnium bonorum vel maioris

a l. aut dã no. §. ſolẽt. ff. de pœnis. l. qui in carcerem. ff. de eo quod met.

b l. 9. §. 1. & §. ſed licèt. ff. ill. titu.

partis eorum dicẽdum eſſet? Et communiter receptum eſt, iuſtum videri metum, quòd non minus homines de fortunis quàm de ſalute decertare ſoleant, & quòd, vt ille inquit,

" οὐκ ἐςὶ πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον.

Quamuis idem Ariſtoteles paupertatem horribilem pertimeſcendámque neget. Sed aliter leges, aliter philoſophi de hominum negotiis, vita, & moribus diſputant. Mortis timori proximus eſt dedecoris & infamiæ metus: veluti ſi quis timeat, ne ſtuprũ ſibi vel vxori inferatur. Nam viris bonis iſte metus maior, quàm mortis, eſſe debet. Idem ſi veritus ſit in liberis ſuis, cùm pro affectu magis iñ liberis parẽtes terreantur.[a] Et quidem monet Ariſtoteles quędam pertimeſcenda, ídque præclarum eſſe, quæ eadem turpe ſit non metuere, vt dedecus. Nam qui ea metuat, is probus & pru

[a] l.iſti. ff. ill. tit.

& prudens iudicandus eſt. Secũdùm quæ Vlpianus opinatus eſt athletæ cuidam ſuccurri debere, qui vltra quantitatem pecunię debitę fœneratori cauit, ne à certaminibus prohiberetur, quòd ei dedecori verteretur, ſi ipſe præſens certaminibus nõ adeſſet[a], licèt cuiuſuis infamiæ aut vexationis timor ad edictũ nõ pertineat.[b] De metu excõmunicationis hoc loco tractari ſolet, ſed dubiam eam queſtionẽ pontificiis doctoribus diſcutiẽdam relinquemus. Mortis quoque timori affinis eſt ſeruitutis metus (ſeruitutẽ enim mortalitati comparamus) veluti ſi quis timeat, ne ſui ſtatus inſtrumenta interuertãtur, vtique ſi iam in ſeruitutẽ petitur, & illis inſtrumentis perditis liber pronũtiari non poteſt.[c] Qui metus iuſtus non erit, ſi mulier contra ſuũ patronum ingrata facta, ſciẽs ſe ingratam cùm

a l. vlt. §. ſi fœnerator, ff. ill. tit.

b l. nec timorẽ, ff. ill. tit.

c l. 4. ff. ill. tit.

de ſuo ſtatu periclitaretur, aliquid patrono dederit, vel promiſerit, ne in ſeruitutem redigatur, quia hunc ſibi ipſa metũ infert.[a] Sed & aliis quamplurimis caſibus iuſtus metus interuenire poteſt, qui caſus atrocitate facti potius & circũſtantiis, quàm vlla certa regula diiudicandi ſunt,[b] quẽadmodum dolus emptoris qualitate facti, nõ quãtitate pretij æſtimatur,[c] nec ad reſcindendam venditionẽ, & malæ fidei probationem hoc ſolùm ſufficit, quòd magno pretio fundus comparatus minoris diſtractus ſit.[d] Nam etſi vis, quam magiſtratus rectè infert, ſcilicet iure licito & iure honoris quem ſuſtinet, ad hoc edictũ non pertineat,[e] nec ad metũ arguendum ſufficiat ſola dignitas:[f] tamen & in aſperis prætoribus minacem vultum iuſtum quandoque præſtare metum vulgò traditum eſt. Id quod ex qualitate

a d.l.ſi mulier.ff.illo tit.

b l.metum. C.ill.tit.

c l.dolus.C. de reſcind. vend.

d l.ad reſcindendã. C.ill.tit.

e l.3.§.1.ff. de eo quod met.cauſ.

f l.ad inuidiam.C.ill. tit.

litate perſonarum & circunſtantiis admittẽdum erit. Nam ſi potens aduerſarius minetur ſe quem ad cognitionem vinctum ducturum, locum habebit edictum.[a] Hoc idem probari poterit, ſi truculento ac tyrannico ingenio princeps quid imperet, aut minetur, cùm illi quandoque difficilius ſit mortem minari, quàm eam inferre, vt à Iulio Cæſare, viro alioqui natura leni & clementi, Metello attonito quòd ei mortem minatus eſſet, dictum fuit, dictu nempe difficilius fuiſſe quàm factu, quòd vel nutu eũ occidere potuiſſet. Regũ autem, inquit M. Tullius, ſunt hæc imperia, Animaduerte & dicto pare: & præter rogitatum ſi quærare, & illæ minæ, Si te ſecundo lumine huc offendero, moriere.

a l.nõ eſt. ff. ill. tit.

Ad vim tamen. Quod ſuprà metũ dixerant Impp. hoc loco vim appellant.

lant. Nam olim ita dicebatur, Quod vi metúsve cauſa. Sed poſteà detracta eſt vis mentio, ideò quia quodcũque vi atroci fit, & quæ aduerſus bonos mores eſt, id metu quoque fieri videretur,[a] non contrà: non enim quicquid metu fit, id vi fieri intelligitur.

Vel dolum arguendum. Qui dolo dicit factum aliquid, licèt in exceptione, docere dolum admiſſum debet.[b] Probationem autẽ eam indiciis perſpicuis fieri conuenit.[c] Quare cùm in propoſita quæſtione, de qua conſulti ſunt Impp. qualitas cauſæ principalis (quòd modica fortè accepta pecunia dominus à lite diſceſſerat, vt in venditione paulò minore pretio facta iidem Impp. Euodiæ reſcripſerunt) ad vim vel dolum arguendum non ſufficiat, nec aliæ ſuppetant probationes, conſenſu terminatas quæſtiones

a l.1. & 3. ff. eod.

b l. quoties §. qui dolo. ff. de probat. l. ſi quis. §. vlt. ff. de eden.

c l. dolũ. C. de dolo. l. et elegãter. §. vlt. ff. ill. titu. l. ſi fundo. ff. de euict. l. ſi pcuratorẽ. §. vlt. ff. mãd.

d l. ſi volũtate. C. de reſcind. vẽdit.

ſtiones minimè inſtaurari oportet, etiam ſi quis vltra dimidium eius, quod probabiliter ex lite conſecuturus erat, ſe deceptum eſſe contendat, ne ſi quidem propter reuerētiam paternam ſe contraxiſſe cauſetur, modò nullus arguatur patris dolus: alioqui nullus erit litium finis, ſi à tranſactionibus bona fide interpoſitis cœperit facilè diſcedi.[a] Adde quòd in incerto nimis poſitum eſt, propter dubium iudiciorum exitum, an vltra dimidium quis eo caſu deceptus dici debeat. Dolo autem intercedēte deceptis ſubueniendum eſſe, etiam aduerſus patrem doloſum, æquitas ſuadet, ne quis doli ſui præmium ferat, cùm nec ex dolo alterius quis lucrari debeat,[b] ſed propter paternam verecundiam, non de dolo actio decernetur (vix enim eſt, vt vlla etiam alia in parentes dari debeat. Nam ſi Mænan

a l. fratris. C. de trāſact.

b l nec ex eo. ff. de dolo. l. ita. ff. de arb. l. ſi actoris. ff. de eo per quem, ac.

nandro credimus, miſerè inſanit, qui eos in ius vocat, quòd vt apud Aelianum dicebat Pittacus, εἰ μὲν ἀδικώτερα
” μέλλεις λέγειν τοῦ πατρὸς καταικριθήσῃ, εἰ δὲ δι-
” καιώτερα διὰ τοῦτο ἄξιος εἶ κατακριθῆναι. Sed
” & Diphilo impius videbere,
” ὅτι τὸν κατασπειράθεντα λυπεῖς οὐ φιλεῖς.
Sed in factum actio tribuenda eſt, vt iidem Impp. Dioclet. & Max. reſcripſerunt in l. ſi ſuperſtite, C. de dolo. Quod reſcriptũ viri quidam eruditi ſic accepiſſe videntur, tanquam non id quæreretur, an in patrem doloſum emancipatæ filiæ de dolo actio daretur, cùm nulla alia ſupereſſet agendi ratio, ſed vtrùm ob immodicam læſionem aduerſus tranſactionem reſtituenda eſſet, quòd paterna verecundia tranſegiſſet. Verùm hæc paterna reuerentia non effecit, vt ob immodicam læſionẽ (immodicè enim læſam eſſe oportuit, vt de dolo etiam aduerſus

ſus extraneum agere poſſet[a]) aduerſus tranſactionẽ reſtitueretur, ſed id tantùm præſtitit, vt actio de dolo, quæ famoſa eſt, & qua ſtricto iure tenebatur pater, in factum verbis temperaretur.[b] Huic ſimile eſt quod dicitur de vxore, quæ marito furtum fecit, & de patre, qui filio quoque furtum feciſſe dicitur.[c]

Sed quoniam eum. In priori huius reſcripti capite vim, metum, vel dolum interueniſſe allegabatur, quæ cùm neque ex qualitate cauſæ principalis, neque aliunde petitis probationibus argui poſſent, ratam manere debere trãſactionem reſponſum eſt: in hoc verò poſteriori capite proponitur eum, aduerſus quem reſtitutio petitur, ſeruilis fuiſſe conditionis. Et reſcribunt Impp. hac ratione pactum reformari: vbi pactũ pro tranſactione ſumẽdum eſt. Nec enim ignotum

eſt pa

a *l. ſi oleũ. §. vlt. & l. ſeq. ff. de dolo.*

b *l. nõ debet ff. de dolo.*

c *l. 1. ff. rer. amot. l. ſi vxor. ff. de furt.*

eſt paciſcendi verbum pro quauis conuentione, ſiue ea nominata ſit, ſiue innominata ſit, accipi poſſe.[a]

Nec enim dubij iuris eſt. Serui enim omninò neque iure ciuili, neque iure prætorio, neque extra ordinem computantur, ſed pro nullis habentur,[b] & quicquid acquirunt, id totum dominis ſuis adiiciunt. Ideóque cum non tantummodò rem ſibi traditam, ſed etiã obligationem dominis ſuis acquirant, vt ne momento quidem aliquo in eorum perſona ſubſiſtat,[c] abſurdum eſſet, ſi eis domini teneri aut obligari dicerentur. Cui conſequens eſt, ſeruos legitimam in iudicio ſiſtẽdi perſonam non habere:[d] certis tamen ex cauſis etiam aduerſus dominos ſeruis conſiſtere, tandem fauorabiliter permiſſum eſt: veluti, ſi annonam publicam (cuius cauſa Anaſtaſium Alexandriæ epiſcopum relegatum

a *l. 1. §. 1. ff. de pact.*

b *l. quod attinet, ff. de regu. iur. l. nullo, ff. ad legem Cornel. de falſ.*

c *§. itẽ vobis, ꝑ quas perſ. oblig. in Inſtit. l. placet. ff. de acq. hæred.*

d *l. ſeruus, & l. ſeq. C. de iudic. l. non ſeruũ, C. de rei vind. l. 1. C. ſi per vim abſent. poſſ.*

tum fuiſſe commemorant, quòd ſe non paſſurum eſſe iactaſſet, frumẽtũ ab Alexandria Romã euehi) vel cenſum (qui Reip. neruus eſt) fraudaſſe dicant dominos: vel ſi falſæ monetæ (cuius criminis odio deferentibus ſeruis libertas, accuſantibus immunitas conceditur[a]) vel læſæ maieſtatis criminis (in quo ſerui in dominorũ caput torquentur,[b] & qui illud non reuelauerint, eadem legis pœna ſubiiciuntur, vt Philo ille apud Curtium) reos detegere voluerint.[c] Item ad ſuppreſſi teſtamẽti, in quo relicta eis erat libertas, accuſationem diui Marcus & Commodus admittendos reſcripſerũt,[d] fauore ſcilicet libertatis. Cui cõuenienter dicendum eſt, fideicommiſſariam libertatem eos petere poſſe.[e] Et ſi libertas iiſdẽ ſeruis ſub hac conditione data ſit, ſi rationes reddiderint, arbitrum contra dominũ ra-

a l.1.C.de falſa mo.
b l.penul. & vlt.C. ad l. Iul. maieſt.
c l.1.ff.ad l Iul.de an. l.mulierẽ.l. ſeruus.l.hos accuſare.ff. de accuſ.l. famoſi.ff. ad.l. Iul. maieſt.l. vix ex certis.ff. de iudic.
d d l.nullo d l.vix ex certis.
e l.is quoq; ff.de in ius voc. l. mulier. §. non eſt. ff.ad Trebel. d.l. vix certis.

a l. ſi cui. ff. de cõdit. & demõſt.

tionibus excutiendis rectè petent.[a] Sed & ij qui ſuis numis redemptos ſe & non manumiſſos contra placiti fidem aſſeuerant, poſſunt conſiſtere cũ domino ſuo, in cuius fidem confugerunt, & queri quòd ab eo non manumittantur. Nam quamuis ſuis numis non propriè videatur emptus ſeruus, cùm numos habere non poſſit: verũtamen conniuentibus oculis credendũ eſt, ſuis numis eum redemptum, cum non numis eius qui redemit cõ-
„ paretur. Proinde ſiue expeculio quod
„ ad venditorem pertinet, ſiue ex aduẽ
„ titio lucro, ſiue etiam amici benefi-
„ cio, vel liberalitate, vel prorogãte eo,
„ vel repromittente, vel ſe delegante,
„ vel in ſe recipiente debitum, redem-
„ ptus ſit, credendum eſt, ſuis numis cũ
„ redemptum. Satis eſt enim, quòd is,
„ qui emptioni ſuum nomen accõmodauerit, nihil de ſuo impendit. Itaq;

ſi ali

ſi alicuius fidē elegerit ſeruus, vt numis eius redimatur, atque his ſolutis manumittatur, nec ille oblatam pecuniam ſuſcipere velle dicat, contractus fidem detegendi ſeruo poteſtas tributa eſt. [a] Sed his caſibus non tam propriè aduerſus dominum (verus enim dominus is eſt qui eum vel manumitti voluit, vel qui vēdidit) quàm aduerſus imaginarium emptorē, aut ipſius domini hęredem agere intelligēdus eſt. In quo & illud animaduertendum eſt, ſi domino ignorante emi ſe ſeruus extero mādauerit, ac eo numos ſubminiſtrante peculiares ſoluti ſint, emptori minimè liberationē per huiuſmodi factum potuiſſe peruenire, ſed in vēditoris arbitrio eſſe, vtrūne mancipium, ſi nōdum manumiſſum eſt, an pretium conſequi velit, cùm ex peculio, quod eius fuit, ſolutio celebrata obligationis vinculo

a d.l. vix ex certis. l. 4.5.6. ff. de manumiſſ.

emptorem liberare non potuerit.[a] Sed & ſi quis ab alio numos accepe-
„ rit,vt ſeruos ſuos manumittat,etiam
„ ab inuito libertas extorqueri poteſt,
„ licèt plerunque pecunia eius nume-
„ rata ſit,maximè ſi frater,vel pater na
„ turalis pecuniam dedit. Videbitur
„ enim ſimilis ei qui ſuis numis redé-
ptus ſit:[b] quamuis ſi libertate nondũ conceſſa pœniteat eum,qui ſuam pecuniam dedit vt manumitteretur,eã condicere poſſit,etiam liber conſtitutus,qui vt filiæ ſuę manumitterentur aliquid dedit.[c] Si tamen quondã domino tuo placuerat, vt pro te & filia tua dato numo certæ quantitatis vos manumitteret,& te tantummodò liberauit,ſalua reuerẽtia quam patruo liberti ſolent exhibere, iudicem adeũdum qui hortetur eum placito ſuo ſtare.[d] Quòd ſi nõ alius pro ſeruo,ſed ipſemet ſeruus de peculio ſuo pro liberta

a l.1.C.ſi ſeruus ext. ſe emi mãd.

b l.ſi quis ab alio.ff. de manumiſſ.

c l.3.§.1.l. ſi pecuniã. §.1.ff.de cond. cauſ. data.l.ſi liber.C.illo ſit.

d l.cũ affirmes.C. de lib.cauſa.

bertate dederit,contra eum quidem nullam actionem habere poteſt ad condicendum quod datũ eſt,ſed dominum qui ſemel accipere pecuniã pro libertate paſſus eſt, aditus prouinciæ rector hortabitur ſalua reuerentia,fauore ſcilicet libertatis, placito ſuo ſtare.[a] Quæ hortatio ſerui manumittendi neceſſitatem imponit.Nam & Vlpianus ait, ſi quis dederit numos domino vt manumittatur,puto huic omnimodò eſſe ſuccurrendum,[b] ex ſacris videlicet diuorũ fratrum conſtitutionibus, quòd ſuis numis redemptus eſſe intelligatur. Quanquã poſt certi temporis miniſterium ancillæ,liberam eam eſſe cũ ea paciſcendo,conuentionis obtemperandi legi domina nullam habet neceſſitatem.[c] His apparet hîc apud Diocletianum alia ex cauſa quàm ex liberali fuiſſe tranſactum,vt meritò

a d.l.ſi liber.

b l.ſi ſeruum §.1.ff. de acq.hered.

c l.poſt certi.C.de lib. cauſa.

ſubſiſtere nequeat quod inter ſeruũ & dominũ geſtum eſt. Nam ſi ſuper ſtatu inter eos interpoſita tranſactione libertas ſit promiſſa, reſcindi non debet quod ita geſtum eſt. Quamuis autem, ſi ſtrictam rationem iuris ſequamur, de qua modò dicebamus, ſerui dominos ſibi obſtrictos obligatósve habere nequeant, cum ij nihil quod ſuum ſit & proprium, habere poſsint, tamen conniuentibus oculis & neglecta ea tyrannica iuris Romani obſeruatione, credendum eſt, dominos ſeruis naturaliter teneri. Quare ſi quod dominus ſeruo debebat manumiſſo ſoluit, quãuis exiſtimans ei aliqua actione teneri, tamen repetere non poterit, quia naturale debitum agnouit. Vt enim libertas naturali iure continetur, eóque omnes liberi naſcimur, ac vno naturali nomine homines appellamur, & dominatio